(1)

DE PRONOMINIBUS IPSE ET IDEM APUD PLAUTUM ET TERENTIUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS NIEMOELLER

GUESTPHALUS.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXVII.

Cum mihi proposuissem de formis et usu pronominum „ipse“ et „idem“ apud Plautum disserere, praecipue ut demonstrarem, quae similitudines inter haec pronomina intercederent, facile intellexi haud raro ad aliquam rem demonstrandam magni interesse, Terentianum quoque usum dicendi cognitum habere. Itaque praesertim cum saepius occurrerent sententiae virorum doctorum, quibus falsi aliquid de his pronominibus apud Terentium usurpatis pronuntiabatur, etiam exempla ex hoc poëta sumpta diligentius tractare constitui. Sed quoniam longum erat omnem rem pertractare, ne modum excederet disputatio, certas partes elegi, de quibus accuratius dissererem.

Itaque priore parte primum dicam de formis pronominis „ipse“, deinde de collocatione huius pronominis cum substantivis et aliis pronominibus coniuncti; altera parte primum disseram de collocatione pronominis „idem“ cum substantivis et aliis pronominibus coniuncti, deinde pauca addam de syntactico usu huius pronominis et adverbii „eadem“. — De formis pronominis „idem“ disputare non opus est, cum totam hanc rem accuratissime tractaverit Ritschelius op. IV, 313 sqq.

Nihil dicam de significatione horum pronominum, praesertim cum a Kuehnero, Haasio, Draegero, Kuehnastio (Synt. Liv. p. 112 sqq.), aliis ea de re ita disputatum sit, ut nihil fere novi proferre possim. — Unum tamen, quod ad significationem pronominis „ipse“ attinet, mihi quoque iam hoc loco commemorare liceat.

Saepius enim et apud Plautum et apud Terentium servi, cum de dominis suis loquuntur, nudo pronomine „ipse“ utuntur, etiamsi antea de domino vel domina dictum non

est. Ita — ut primum ponam exemplum, quod vulgo a viris doctis affertur — Cas. IV, 2, 11 serva Pardalisca, quamquam antea nihil dixit de domina, dicit: Ego eo, quo me ipsa misit. Etiam Aul. 356: „At iam adferetur, si a foro ipsus redierit“ eandem dicendi consuetudinem habemus. Apud Terentium duo exempla exstant: Andr. 265: Sed nunc peropus est aut hunc cum ipsa aut de illa me advorsum hunc loqui, et Andr. 360: Paululum obsoni, ipsus tristis: de improviso nuptiae.

Alia exempla, ubi de hoc usu dicendi cogitari potest, minus certa sunt, cum plerumque in antecedentibus versibus domini vel dominae mentio facta sit. Sed tamen Cist. IV, 2, 99, ubi legitur „Cęterum ex ipsa, obsecro, Exquiritote: ego serva sum“, quamquam paulo ante domina commemorata est, propter verba „ego serva sum“ eundem usum dicendi exstare puto.

Bis coniectura hanc significationem effectam esse video:

Stich. 677 legitur: Istarum venturos viros, ibi festinamus omnes. — Ewaldius teste Studemundo, Nov. ann. 113 (1876) p. 73, legit: Ipsarum venturos cett., sed forma „ipsarum“ ferri nequit, cf. p. 24.

Schreinerus teste Ussingio scribit Mil. 844: Ita vero? ut tu ipsi me dixisse delices. — Codd. „tu ipse“, quam lectionem rectissime servant editores, cum dativo ex verbo „delices“ pendente non opus sit.

Similia, quae inveniuntur apud Catullum, Petronium, Martialem, alios paucis tractant cum alii tum Hertzius Mus. Rhen. XVII, p. 325 sq., Ruhnkenius ad Ter. Andr. II, 2, 23, Baehrensius in comm. ad Catullum p. 78 et 83.

Sed haec hactenus.

In exemplis afferendis editiones secutus sum: Ritschelii Amph. Asin. Aul. Curc. Epid. Bacch. Most. Men. Mil. Merc. Pseud. Poen. Pers. Stich. Trin. Truc., Fleckeiseni Capt. Rud., Weisii Cas. Cist., Umpfenbachii Terentium. — Praeterea nonnulla exempla attuli ex fragmentis Plautinis a Wintero collectis et ex reliquiis poëseos scaenicae a Ribbeckio editis.

PARS PRIOR.

De pronomine „ipse".

CAPUT PRIUS.

De formis pronominis „ipse".

A.

De nominativo sing. masc. „ipse" et „ipsus".

Forma „ipse" legitur in his versibus: Amph. 18. 88. 94. 102 (ipsemet). 202. Asin. 28. 69. 502. 609. 644. Aulul. arg. I, 11. Capt. 121. 292. 307. 309. 422. 560. 580. 581. Curc. 254. 694. Cas. II, 6, 48. Cist. I, 3, 39. Epid. 39. 40. 47. 58. 101. 359. 360. 487. Bacch. 417. 789. Most. 713. 774. 910. Men. 62. 643. 856. 969. Mil. arg. I, 13. 155. 640. 844 (v. p. 4). 1081. 1145. 1147. Merc. 466. 991. Pseud. 132. 220. 467*.[1]) 978. Poen. 69. 71. 77. 664. 669. 845. 1060. 1283. 1381. Pers. 327. 543. 600. Rud. 62. 392. 815. Stich. 195. 552. Trin. 109. 255. 401. 639. 667. 858. 901. 902. 928. 929. Truc. 233.

Contra forma „ipsus" legitur: Amph. 252. 415. 754. Asin. 379. 459. Aul. 356. 414. 530*. 814. Capt. arg. 7. 279. 640. 990. Curc. arg. 7. 107. 170. 437. Cas. II, 2, 26. II, 8, 34. Cist. II, 3, 58. Epid. 69. 417. Bacch. 194*. 448. 476. 493. 549. Most. 634. 687. 795. Men. 46. 100. 314. Mil. arg. I, 3. 1061. 1388. Merc. 56. 481. 598. 759. Pseud. 263*. 439. 723. 929. 930. 973. 989. 1142. 1168. 1209. 1221. Poen. 846. 1046. Pers. 42. 458. 650. Rud. 730. 1262. Trin. 322*. 323*. 433.

---

[1]) Versus, quos asterisco signavi: Pseud. 467. Aul. 530. Bacch. 194. Pseud. 263. Trin. 322. 323 a nonnullis spurii habentur.

611. 985. 987 (bis). 988 (bis). Trucul. 45. 50. 559. 593. 602. Fragmt. 114.

Praeterea propter auctoritatem codicis Ambrosiani „ipsus" scribitur: Most. 795. Poen. 708. Trin. 262. 363. 1070, in quibus versibus ceteri codd. formam „ipse" exhibent.

Saepissime, ubi in codd. legitur „ipse", versu plenior forma postulatur, quae restituenda est in his versibus:

Asin. 463 Salvom hercle erit. Credam fore, dum quidem ipse in manu habeo. — „ipsus" Muellerus. Ceterae rationes emendandi (cf. Muellerus Pr. Pl. p. 714) minus mihi probantur.

Capt. 461 Miser homost, qui ipse sibi, quod edit, quaerit et id aegre invenit. — „ipsus" Fleckeisenus.

Capt. 777 Tantum adfero, quantum ipse a dis optat atque etiam amplius. — „ipsus" Reizius.

Bacch. 1160 Sed quid istuc est? etsi iam ego ipse quid sit prope scire puto me. — „ipsus" Ritschelius. Pravos numeros retinet, ut solet, Ussingius. Reicienda est Hermanni coniectura „etsi ipse ego iam", cum eiusmodi positio pronominum „ipse ego" ferri non possit, cf. p. 32.

Merc. 89 Talentum argenti ipse sua adnumerat manu. — „ipsus" Camerarius.

Trin. 112 Quoniam hinc iturust ipse in Seleuciam. — „ipsus" Hermannus.

Pseud. 884 Ipsus sibi faciam ut digitos praerodat suos. — „ipsus" Dousa. „ipse" A, „ipsos" B. Nominativi forma „ipsos", quae auctoritate codicis B confirmari videtur, Plauto tribui nequit. Invenitur haec forma in excerptis Pauli Fest. p. 6: „Aliuta antiqui dicebant pro „aliter", ex Graeco id ἀλλοίως transferentes. Hinc est illud in legibus Numae Pompili: Si quisquam aliuta faxit, ipsos Iovi sacer esto."

De Amph. v. 960, quem cum Fleckeiseno (ep. crit. XX) legendum esse puto: Proinde eri ut sint, itidem ipsus sit: voltum e voltu comparet, cf. p. 51 annot.

Contra formam „ipse" retinendam esse puto Trin. 309, ubi in codd. legitur: Si ipse animum pepulit, vivit: victor victorum cluet. Hermannus, quem editores sequuntur, emendat „sin ipse". Ritschelius in annot. alterius editionis pro-

ponit lectionem „si ipsus". Sed cum videam, Plautum rarissime hoc asyndeto „si — si" uti, mihi quidem Hermanni lectio probatur.

Sequitur, ut dicam de eis versibus, ubi „ipse" vel „ipsus" a viris doctis additur, ut versus mancus uno pede augeatur. Ita legendum est:

Men. 567 Atque edepol eccum ipse optume revortitur. — Codd. „eccum optume", quem hiatum servant Ussingius et Vahlenus; „ipse" Brixius scripsit, quod maxime convenit consuetudini Plautinae, cum saepissime hoc pronomen usurpetur, si novae personae in scaenam prodeunt. Minus placet Ritschelii lectio: „eccum huc optume", cum Plautus rarissime in simili re hoc adverbio utatur, ut Poen. 619 et 975, Rud. 663, nam Most. 686 Ritschelii, Rud. 805 Fleckeiseni, Epid. 394 Goetzii coniecturae hoc adverbium debetur.

Pseud. 508 Tu vives; tu mi hercle ipsus argentum dabis. — Codd. „hercle argentum"; „ipsus" a Brixio (Emendd. Plautt. Brieg 1847, p. 9) additum est. Minus aptum est, quod idem Brixius proponit et Ritschelius Lorenziusque comprobant: tu vivos vives cett.

Pseud. 954 Illicinest? Illic ipsus est. Mala mercest. Illuc sis vide. — Codd. „illic est"; „ipsus" debetur Ritschelio. Quod Muellerus Pr. Pl. p. 331 scribit: „Illicinest? Illic est. Mala mers herclest. Illuc sis vide", propterea ferri nequit, quod altera syllaba vocis „illic" apud Plautum semper brevis est.

Amph. 952 Is adeo impransus ipsus ludificabitur, Quom ego Amphitruonem collo hinc obstricto traham. — „impransus ludificabitur" codd.; „ipsus" Palmerus, Hermath. VIII (1882) p. 242. Alii vel „pulchre" vel „lepide" vel „ludis" vel aliam vocem post „impransus" inserunt. Certe reicienda est Bentlei coniectura: Is adeo impransus ludificabitur, quom ego | Amphítruonem cett. — Offendit enim et collocatio verborum et accentus plane singularis vocis „Amphitruonem". Nam in casibus obliquis huius nominis Plautus primam et quartam syllabam ictu efferre solet, quod ex hoc indice apparet:

Ámphitruónis arg. I, 1. 121. 148. 192. 378. 383. 384. 403. 411. 421. 471. 483.

Ámphitruóni 138. 145. 260. 418. 934.
Ámphitruónem 466. 511. 785. 873. 953. 975. 978. 997. 1082.
Ámphitruóne 125. 829.

„Amphítruóni“ semel invenitur v. 893, „Amphítruónem“ semel v. 1005, et quamquam hunc ictum his locis in dubium vocare non audeo, tamen non licet per coniecturam aliis locis eum efficere.

Pronomine „ipse“ addito Hermannus, Ritschelius, alii emendandum esse putant versum Bacch. 565. Codd.: Occiperes tute amare et mi ires consultum male. Hermanni coniecturam „Ipse occiperes tute cett.“ reiciendam esse apparet ex eis, quae infra p. 31 sq. de collocatione pronominum disputavi. Rectius Ritschelius scribit: Occiperes tute ipse amare .., sed ne hanc quidem lectionem probari posse Ussingius et Muellerus Add. p. 123 mihi persuaserunt. Probatur mihi Ussingii emendatio „eam ut occiperes . . .“

Restat ut paucis disseram de his versibus:

Amph. 71 lego: sive ipse (vel „seu qui ipse“) ambissit. — B: sive qui ipse ambisset. Alii praeferunt: sive ipsi ambissint.

Amph. 170 in codd. scriptum est: Ipse dominus dives operis et laboris expers. Quos pravos numeros retinet Ussingius. — Multa, quae in hoc versu offendunt, enumerat simulque mutationes vel explicationes Christii, Fleckeiseni, Fuhrmanni, Studemundi refutat Langenus Beittr. 10. — Ipse vir doctissimus conicit: Ipsus dominus dives et expers laboris. Sed haud dubie cum Fuhrmanno, Nov. annal. 105 (1872) p. 830, quem Goetzius et Loewius sequuntur, versus spurius habendus est.

Asin. 714 probo Goetzii et Loewii lectionem: Etiam tu ere istunc amoves abs te atque ipse ad me adgredere. — In codd. deest „ad“. Alii alias emendationes proferunt. Certe reicienda est Acidalii coniectura „ipsum me“, quam Ussingius et Leo recipiunt; cf. p. 32.

Bacch. 478 retinenda est codicum lectio: Út ipsus in gremio ósculantem mulierem teneat sedens. — Non recte enim in ictu „út ipsus“ Pyladem et Hermannum offendere demonstratur exemplis a Muellero Pr. Pl. p. 360 allatis,

Men. 309 Luchsius et Brixius recte legunt: Insanit hic quidem, qui ipsus male dicit sibi; cf. p. 12. — Codd. „ipse".

Pseud. 914 improbandum est, quod Brixius Pareum secutus legit: Ipsus ego iam satis scio; cf. p. 32 Ritschelius cum cod. F scribit: Istuc ego iam cett. Ceterorum codicum lectio turbata est.

Pseud. 1010 cum Lorenzio (Philol. XXXV, 178 sq.) scribendum esse puto: Tune's is Harpax? Ego sum atque ipse harpax quidem. — „ipse" scriptum est in codd.; utrum in codice A quoque olim exstiterit necne incertum est. Ritschelius pronomen „ipse" omittit.

Stich. 373 probanda est lectio codicis A, cuius scripturam Loewius anall. Plautt. p. 178 indicat: Venit, inquam. Tutin ipsus ipsum vidisti? Lubens. — In ceteris codd. omissum est „ipsus".

Trin. 1071 legitur in codd. Pall.: Satin ego oculis plane video? est ne ipsus an non est? is est; contra in cod. A: est ne hic an non est? — Ritschelius (in edit. priore), Fleckeisenus, Spengelius receperunt lectionem codicis A, sed et Ritschelius Proll. CCCXXIII et Fleckeisenus Nov. ann. 93, p. 61 in ea offendunt, cum consuetudine Plautina vel „is" vel „ipsus" flagitetur. Ego unum exemplum novi, quo „hic" pronomen defendi possit: Pers. 544: set eccum ipse optume advenit Hospes ille, qui has tabellas attulit. Hicinest? Hic est. — Sed cum plurimis locis similibus Plautus pronomine „ipsus" utatur, non dubito hic quoque hanc vocem scribere, praesertim cum hac lectione recepta hiatus tollatur.

Stich. 365 Ritschelius, Goetzius, alii recte scribunt: Commodum radiosus sese sol superabat ex mari. — „sese" A (cf. Studemundus Mus. Rhen. 21 (1866) p. 580), eadem vox indicatur lectione ceterorum librorum „esse". Alii ut Bergkius Beittr. z. lat. Gramm. I, 148 scribunt „ipse sol".

Praeterea „ipse" vel „ipsus" conicitur a nonnullis viris doctis in his versibus: Epid. 97 a Goetzio, Epid. 145 a Loewio (cf. praef. Epid. ed. Goetzius p. XXIII), Mil. 1333 a Ribbeckio, Truc. 553 a Schoellio, fragm. 132 a Studemundo. In omnibus his versibus maxime incertum est vel potius omnino investigari nequit, quid olim in textu fuerit.

Epid. 90 et Bacch. 550, ubi in codd. „ipse“ legitur, nunc recte scribitur „ille“ vel „iste“.

Ut complectar, quae disserui, forma „ipse“ praeter versus supra enumeratos scribenda est: Amph. 71. Asin. 714. Men. 567. Pseud. 1010. Trin. 309.

Contra „ipsus“ legendum est: Amph. 952. 960. Asin. 463. Capt. 461. 777. Bacch. 478. 1160. Most. 795. Merc. 89. Men. 309. Pseud. 508. 884. 954. Poen. 708. Stich. 373. Trin. 112. 262. 363. 1070. 1071.

Itaque formam „ipse“ invenimus octogies sexies, formam „ipsus“ nonagies ter, unde efficitur, Plautum utramque formam pariter usurpavisse. Sed sine dubio multis locis, ubi nunc „ipse“ legitur, olim scriptum erat „ipsus“, quamquam certa indicia desunt, quibus commoti pleniorem formam restituamus. (sed v. pp. 11 sqq.)

T e r e n t i u s paulo rarius pleniore forma utitur.

„Ipse“ legitur: Andr. 112. 151. 174. 487. 752. Eun. per. 5—14. 77. 543. 702. 891. 893. 905. Heaut. 772. 804. 894. 1023. Phorm. per. 11. 23. 196. Hec. 161. 560. 574. 670. Adelph. 4. 39. 64. 99. 139. 264. 437. 628. 640.

Contra „ipsus“ invenitur: Andr. 360. 377. 495. 576. 598. Eun. 546. 974. Phorm. 178. 215. 852. Hec. 343. 344. 455. 812. Adelph. 328. 472.

Praeterea „ipsus“ recte scribitur ab omnibus vel plurimis editoribus in his versibus:

Andr. 442 Etenim ipsus secum eam rem reputavit via. — „ipsus“ D, „ipse“ ceteri libri.

Andr. 527 Quod mihi pollicitust ipsus gnatus. — „ipsus“ BD[1]G. „ipse“ CD[2]EP.

Eun. 782 Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco. — „ipsus“ (B?) GL et Don., „ipse“ reliqui libri.

Adelph. 78 Sed estne hic ipsus, de quo agebam? et certe is est. — „ipsus“ Don. et libri praeter A. Cf. p. 11.

Adelph. 538 Pater est? Is ipsust. Syre, quid agimus? Fuge modo intro, ego videro. — „ipsest“ A, „ipsust“ ceteri libri. Vox „is“ in codd. omissa debetur Bentleio. Cf. p. 11.

Eun. 319 legitur in A: Flos ipsum. hanc tu mihi vel vi

vel clam vel precario. „ipse“ ceteri codd. — H ·mannus adverbio „nunc“ addito legit: Flos ipse. Nunc hanc cett. Sed Fleckeiseni emendatio „Flos ipsus. Hance tu“ propius ad Bembinum accedere videtur.

„Ipsum“ pro „ipsus“ in Bembino etiam Eun. 566 invenitur, ubi legendum est: Cum ipsus me noris cett. v. p. 33.

Hec. 784 codd. exhibent: Quid mihi istaec narras? an quia non tute ipse· dudum audisti? — Defendunt traditam scripturam non offendentes in numeris Bentleius et Conradtius Deleto pronomine „ipse“ Umpfenbachius, Fleckeisenus, alii scribunt „tute dudum“. Sed cum „ipse“ et omnibus libris et a Donato praebeatur, rectius Dziatzko scribit „tu ·ipse dudum“.

Itaque praeter versus supra enumeratos „ipse“ invenitur Hec. 784, „ipsus“ Andr. 442. 527. Eun. 319. 566. 782. Adelph. 78, 538., ita ut „ipse“ tricies quater, „ipsus“ vicies ter legatur; sed v. p. 12.

Priusquam de reliquis casibus dicam, paucis comprehendam, quid exemplis, quae adhuc attuli, diligentius examinatis indagasse mihi videar.

Facile intellegitur, formam pleniorem „ipsus“ tum esse adhibitam, si pronomen majore vi efferendum erat. Itaque plenior forma saepissime invenitur, si hoc pronomen per se i. e. sine substantivo positum cum formis verbi „esse“ coniungitur.

Inveniuntur haec exempla: Asin. 379 illest ipsus, Capt. 990 quin istic ipsust Tyndaros, Curc. 437 ubi ipsust, Cist. II, 3, 58 is ipsust, Bacch. 549 ipsus sum mihi, Merc. 759 tu istic ipsu's, Pseud. 439 ipsus fuerit, 989 purus putus est ipsus, Poen. 708 ut ipsus testis sit sibi certissimus, Poen. 1046 ego sum ipsus, Trin. 985 ego sum ipsus, 987 is ipsusne's? Andr. 598 ubi nunc est ipsus, Phorm. 852 ipsust.

Huc quoque referri possunt haec exempla: Epid. 69 eo venturust ipsus, Pers. 650 ipsus probe perditust.

Itaque pro certo affirmo, cum deterioribus codd. pleniorem formam scribendam esse: Adelph. 78 Sed estne hic ipsus, de quo agebam? et Adelph. 538 Pater est? Is ipsust.

Omnibus his locis per numeros etiam forma „ipse" scribi poterat. Saepius autem plenior forma „ipsus" versu postulatur. Ita legitur: Aul. 814 ipsus est, Curc. 107 ubist ipsus? Bacch. 194 ipsus est, Merc. 598 ipsus est, Pseud. 930 qui ipsus est. — Eadem est horum versuum ratio: Mil. arg. I, 3. Pseud. 954 (ex Ritschelii lectione), 1221. Poen. 846. Rud. 1262. Trin. 112. 433. 987. 1071 (cum codd. Pall.) Eun. 546. 974. Phorm. 178. 215. Hec. 343. 455.

Itaque contra codicum auctoritatem pleniorem formam scribendam esse puto in his versibus: Capt. 580 nam is est servos ipsus; Bacch. 789 ubi ipsust; Andr. 487 quandoquidem ipsust ingenio bono; Phorm. 196 Ipsust, quem volui obviam; Adelph. 39 Parare, quod sit carius, quam ipsust sibi.

Luchsius (Studem. stud. I, p. 47) contendit, ubi vox „ipse" cum pronomine reflexivo „sibi, se" coniungatur, a poëtis comicis semper pleniorem formam usurpari eamque ante pronomen reflexivum poni. — Contra Luchsium disputat Brugmannus: Quemadmodum in iamb. sen. Rom. vet. verb. accent. cum numeris consociarint (Bonnae 1874) p. 25. — Sed quod utrumque virum doctum fugit, necessario est discernendum inter Plautum et Terentium.

Apud Plautum invenitur „ipsus sibi": Capt. 461 cf. p. 6. Pseud. 884 cf. p. 6. Trin. 322. „ipsus se" vel „ipsus sese": Capt. 640. Curc. 170. Bacch. 493. Pseud. 929. 973. 1168. Pers. 458. Trin. 323. Truc. 593. 602.

Accedunt haec exempla: Poen. 708 ut ipsus testis sit sibi certissimus (v. p. 6); Trin. 363 ipsus fingit fortunam sibi (v. p. 6); Truc. 559 ipsus perditum se it; Mil. 1388 ipsus illic sese (v. p. 36).

Itaque cum Luchsio legendum est Men. 309: Insanit hic quidem, qui ipsus male dicit sibi. Codd. „ipse". — Confirmatur forma „ipsus" versu 314: „Menaechme, qui nunc ipsus male dicas tibi", qui versus accuratissime respondet versui 309.

Contrarii generis unus est Bacch. versus 415: Iam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit.

Trin. 262 in codd. Pall. scriptum est: Fugat ipse se a suo contutu. Rectius legitur in cod. A: ipsus. — Reiciendum

est, quod Ritschelius et Brixius in edd. novissimis praebent: Fugat se ipsus a suo contutu. — Magis probabilis est — quod quidem ad collocationem pronominum attinet — Muelleri lectio (Pr. Pl. p. 113): Fugat ipsus se a suo contutu cett.

Itaque de Plauto Luchsio astipulandum est, nam semper — uno Bacchidum versu excepto — dicitur „ipsus" et pronomina reflexiva „sibi, se" post vocem „ipsus" ponuntur. — Ceterum haec collocatio confirmatur his quoque similibus exemplis: Curc. 482 ipsi sese, Epid. 533 ipsa se, Mil. 312 ipsa sese, 1236 ipsa se, Pseud. 833 eaepse sese (v. p. 22), Truc. 459 eapse sese, Bacch. 547 ipsi in sese.

Alia est ratio apud Terentium: „ipsus sibi" invenitur Andr. 377. Praeterea recte Andr. 442 „ipsus secum" et Eun. 782 „ipsus sibi" legitur.

Contra legitur: Eun. 14 ipse se, Phorm. 23 ipse de se, Hec. 161 ipse se, Adelph. 39 ipse est sibi, Andr. 495 hic se ipsus fallit (sic vulgo scribitur cum Donato), Heaut. 772 sese ipse. Adelph. 4 cum codd. legendum est: Indicio de se ipse erit, vos eritis judices. — Praeterea invenitur Phorm. 876 inter sese ipsi egerint, Hec. 511 inter se transigant ipsi.

Ita contra tria exempla, ubi convenit lex Luchsii, pugnant septem (vel novem vv. Phorm. 876 et Hec. 511 annumeratis), quae omnia mutat vir doctissimus, quod ego non comprobo praeter Adelph. 39 (v. p. 12).

„ipsus" cum pronomine possessivo „suus" coniunctum legitur: Amph. 252 Ipsusque Amphitruo regem Pterelam suapte (codd. „sua") obtruncavit manu, Merc. 89 Talentum argenti ipsus („ipse" codd. „ipsus" Camer.) sua adnumerat manu. Lectionem „sua ipsus", quam Ritschelius et Brugmannus probant, recte reiecit Luchsius, cum sine dubio creberrima collocatio pronominum „ipsus se, ipsus sibi" multum valuerit ad efficiendam collocationem „ipsus sua".

Capt. 560, ubi cum codd. „Quin suom ipse interdum ignorat nomen neque scit qui siet", legitur, praefero ejusmodi lectionem: Quin ipsus suum interdum cett.

B.
De genetivo sing.

Genetivi „ipsius“ apud Plautum unum exemplum invenitur: Capt. 287. Praeterea scribitur haec forma Merc. arg. II, 6, ter apud Terentium: Heaut. 576. Phorm. 725. Hec. 818, semel apud Afranium 257.

Ceterum dubitari nequit, quin olim formae genetivi „ipsi“ et „ipsae“ exstiterint. — Formam „ipsi“ genetivum esse in Afranii versu 230 „Ipsi me velle vestimenta dicito“, Priscianus testis est. Minus valet alterum testimonium (Gramm. lat. IV, 547, 37), quo forma „ipsae“ Plauto tribuitur, cum lectio incertissima sit. Similes formas: aliae = alius, nulli = nullius cett. saepius inveniri notissimum est.

C.
De dativo sing.

Dativi formam semper codices exhibent „ipsi“. — Sed dativi quoque formas „ipso, ipsae“ Plauti et Terentii temporibus exstitisse pro certo habendum est. Forma „ipso“ semel in literis Latinis legitur: Apul. Met. X, 10 ac ne ipso quidem succumbit igni. „ipsae“ autem testimonio Grammatici (Gramm. lat. IV, 547, 37) quamvis incerto confirmatur.

Semel coniectura forma „ipsae“ ab Ussingio scribitur, qui Mil. 1220 sq. legit: Cum ipso pol sum locuta Placide, ipsae dum lubitumst mihi, otiose meo arbitratu. — Codd. BCDE „ipse“ F „ipsa“. — Sed Ussingii lectio, quamquam proxime accedit ad lectionem optimorum codicum, tamen reicienda est propter inusitatam collocationem pronominum „ipsae mihi“. Ceterum verba in codd. ita corrupta sunt, ut certa coniectura emendari nequeant.

In accusativo sing. masc. et fem., in nominativo sing. fem., in ablativo sing. constat duplicem in usu fuisse declinationem pronominis: „ipsum“ et „eumpse“, „ipsam“ et „eampse“, „ipsa“ et „eapse“, „ipso“ et „eopse“. Saepe inveniuntur formae rarioris declinationis apud Plautum, saepius tamen certis coniecturis apud Plautum restitutae sunt. Etiam Pacuvius et Caecilius his formis usi sunt. Contra apud

Terentium nullum exemplum exstat. Quod Leo (Mus. Rhen. XXXVIII, p. 11) tales formas apud Terentium exstitisse inde colligit, quod etiam Pacuvius et Caecilius eas usurpaverint, mea quidem sententia haec argumentatio propterea reicienda est, quod Pacuvius et Caecilius alias quoque formas antiquiores et quae ex sermone vulgari haustae essent, usurpaverunt, Terentius autem quippe qui consuetudine virorum nobilium et eruditorum uteretur, omnino ejusmodi formas et vocabula sprevit.[1])

D.

De accusativo sing. masc. „ipsum" et „eumpse".

„ipsum" invenitur in his versibus: Asin. 114. 349 (a Langeno p. 114 sine justa causa spurius habitus v. p. 28) 403. 438. 876. Aul. 712. Capt. 615. Curc. 107. Epid. 186. Bacch. 214. 940. Men. 109. 898. Mil. 1219. Pseud. 953. 987. Pers. 295. 739. 744. Rud. 777. 1260. Stich. 287. 373. Trin. 749. 860.

Praeterea „ipsum" legendum est Pseud. 1142, ubi codd. Pall. praebent: Quid jam? Quia te ipsus coram praesens praesentem vides. — Ut hiatum inter „te" et „ipsus" tolleret, Ritschelius in edit. scripserat: ted ipsus .... videt. Rectius Umpfenbachius, melet. Plautt. p. 38 (cf. Muellerus Pr. Pl. p. 735 et Ritschelius N. Plaut. Exc. I, p. 39) scribit: tute ipsus vides. Sed hanc quoque lectionem reiciendam esse ex cod. A efficitur, ubi hae literae exstant: Quidia .. Q ..... sus ipsum praesens cett., unde Luchsius (Herm. VI, 276) versu Stich. 373 comparato, ubi olim legebatur „Venit, inquam. Tun eum ipsus ipsum vidisti? Lubens", eiusmodi versum restituebat: Quidiam? Quia tu eum ipsus ipsum praesens praesentem vides. Quoniam autem ex cod. A Stichi versus ita emendatus est: tutin ipsus ipsum cett., mihi quidem in hoc quoque versu magis placet: Quid iam? Quia tute ipsus ipsum cett.

Forma „eumpse" nusquam in codd. scribitur, neque tamen dubitari potest, quin saepius restituenda sit pro corruptelis: eum ipse, eum ipsum cett.

---

[1]) Cum in ceteris casibus Terentius nihil habeat, quod ab usu aliorum scriptorum abhorreat, iam non opus est huius poëtae rationem habere; vide tamen p. 24.

Itaque recte legitur in plerisque editionibus:

Most. 346 Quid ego hoc faciam postea, mea? Sic sine eumpse. — „eum ipse“ codd. „eumpse“ Gruterus.

Truc. 890 Pater adest pueri. Sine eumpse adire huc: sine, si is est modo et 891: sine eumpse adire. „eum ipse“ codd., „eumpse“ in v. 890 Bothius, „eumpse“ in v. 891 Spengelius. — Alter versus desperatissimus neque adhuc probabiliter emendatus est. Verisimillimum est, pronomen „eumpse“ ut cetera verba ex versu 890 irrepsisse.

Pers. 603 Set ego te malo tamen Eumpse adire, ut ne contemnat te ille. — „eumsi“ A „eum ipse“ BCD „eum ipsum“ F et in edd. ante Ritschelium, qui formam „eumpse“ restituit.

Trin. 950 Quid ais tu? Nunc si forte eumpse Charmidem conspexeris. — „eum ipsum“ codd. „eumpse“ Lindemannus. Pronomen „eum“ nimis languet.

Truc. 114 Commemini: iam pol eumpse ad nos si domi erit mecum adducam. — „eum ipsum“ A „um sum“ BC. „eumpse“ Bothius.

Truc. 133 Quia te adducturam huc dixeras eumpse, non eampse. — „eum ipsum“ A „eum“ CD „ipsū“ B „eumpse“ Bothius. „non eampsā“ A „inonea ase“ ceteri libri, „eampse“ Camerarius. „eumpse, non eampse“ scribitur, ne „syllabae um et am, in quibus contrarium est, in thesi lateant“. Ceterum cum haec verba ad versum 114 spectent, confirmatur his ipsis in illo quoque versu recte scribi „eumpse“.

De Truc. v. 159 v. p. 26.

Reicio Seyfferti coniecturas, cum hanc formam scribit: Bacch. 268 (cf. Bacch. ed. Goetzius p. X) Adulterare eumpse aibat rebus ceteris, („eum“ libri) et Truc. 842 Eumpse ultro te iudicasse cett. (cf. Seyffertus, studd. Plautt. p. 23) v. p. 32 et 40.

E.

De ablativo sing. „ipso“ et „eopse“.

Vulgaris forma „ipso“ septies scripta est: Curc. 507. 712. 714. Cist. IV, 1, 18. Poen. 1138. Trin. 902. 966.

„eopse“ legitur: Curc. 538 Sed eopse illo, quo mactare soleo, quoi nil debeo. — „eopso“ B „eapse“ ceteri codd.

Bacch. 815 Atque in eopse adstas lapide ut praeco

praedicat. — Sic recte scribitur a Ritschelio; „eo ipso“ codd., quam scripturam non recte retinet Hermannus, cum „eo ipso“ sensu careat et forma „eopse“ recepta versus melius procedat.

F.

De nominativo fem. sing. „ipsa“ et „eapse“.

Forma „ipsa“ legitur: Amph. 637. Aul. 421. Cas. II, 8, 56. IV, 2, 11. Epid. 241. 533. 713. Men. 21. Mil. 312. 1003. 1236. Merc. 924. Pseud. 669. Poen. 1112. Pers. 153. Rud. 681. Stich. 296. Truc. 815.

De Mil. v. 1221 cf. p. 14.

Mil. 1215 vulgo cum codd. legitur: Moderare animo: ne sis cupidus. sed eccam ipsam: egreditur foras. — Sed magis respondet consuetudini Plautinae forma nominativi: „eccam ipsa egreditur“, quam Brixius restituit et exemplis, quorum numerus facile augeri potest, confirmat.

Contra forma „eapse“ invenitur: Curc. 161. Cist. I, 2, 17. Rud. 411 („easpe“ in C. V.). 478.

Sed rectissime multo saepius viri docti hanc formam restituerunt.

Ita Mil. 141 recte cum Turnebo ex vestigiis codicum BC(D?) „ea se“ legitur: Miles, quo nemo nisi eapse inferret pedem.

Pro genuina forma „eapse“ omnibus vel nonnullis codd. corruptela „ab se“ exhibetur in his versibus:

Truc. 24 Neque eam rationem eapse unquam educet Venus. — codd. BL „ea ratione me abse“, CD „ea ratione me absq'se“.

Truc. 496 Quae alios conlaudare, eapse sese vero non potest. — B „conlaudate apsa se“, CD „conlaudate abse se“. — „eapse“ Scioppius restituit, qui etiam de forma „sapsa“ cogitat, quam Plauto non esse tribuendam puto; v. p. 26.

Men. 180 Mane, mane obsecro hercle: eapse eccam exit. ah, solem vides. — „ab se“ libri, „eapse“ Acidalius. Non recte defenditur codicum scriptura ab Hermanno (Jahn. annal. phil. nov. XXXV, p. 195) aliisque viris doctissimis, cum in simili re saepissime formae pronominis „ipse“ adhibeantur.

Eadem ratione recte scribitur Truc. 852: Sed nimium pol opportune[1]) eapse eccam egreditur foras (cf. Ritschelius, N. Plaut. Exc. I, 52). — codd. „ab se".

Sic quoque cum Acidalio et paucis editionibus legendum esse puto Mil. 940: dat nunc eapse mulier operam. — „ab se" codd.

Contra non recte Scutarius et Acidalius „eapse" proposuerunt Mil. 869, ubi recte legitur: hunc subcustodem suum Foras ablegavit, dum ab se huc transiret.

Truc. 513 Schoellius scribit: Ubi illic obsecrost, qui me hic reliquit? eapse favea ubist? — Sed verba in codd. maxime sunt corrupta. Finem versus codd. exhibent ita: „eabse (abse CDL) abisti", ubi latere pronomen „eapse" maxime verisimile est.

Alia est corruptela Stich. 501 et Truc. 851. —

Stich. 501 legitur in codd. BC: Quaen et ipsa deciens in die mutat locum. — Nullo modo tolerari potest „et ipsa", cum haec locutio apud Plautum Terentiumque nunquam inveniatur et omnino rarissime usurpetur ante Livium. — Acidalius coniecit „quaene ipsa", rectius Ritschelius scribit „Quaen' eapse".

Truc. 851 recte legit Schoellius cum Seyfferto, studd. Plautt. p. 23: Nihil est: nam eapse ultro, ut factumst, fecit omnem rem palam. — Codd. „nam ipsa et ultro", sed particula „et" reicienda est, cum „et" pro „etiam" a consuetudine Plautina alienum sit (cf. e. g. Lachmannus, Lucr. p. 389), nam exempla, quae Holtzius Synt. prisc. scr. Lat. II, p. 329 affert, omnia aliter se habent. Ceterum confirmatur „eapse" versu sequenti, ubi nunc eadem forma recte a viris doctis scribitur.

---

[1]) In codd. BCD est „oportuna", quam formam retinent Spengelius et Langenus Beittr. 3. — Adiectivi formam defendere possis versu Most. 574, quem Ritschelius sic legit: Nunquam potuisti mihi Magis opportunus adven[ire quam] advenis. Sed cum constanti usu et Plautino et Terentiano adverbium „opportune" flagitetur (Most. 1077. Mil. 897. Poen. 576. Pers. 101. Andr. 345. 590. Heaut. 179. Hec. 626. 808), minime dubito cum cod. L et plerisque editoribus adverbium „opportune" recipere. Saepissime eandem corruptelam inveniri, probatur exemplis, quae Seyffertus studd. Plautt. p. 29 affert.

Saepius pro „eapse“ in codd. legitur „ea ipsa“:

Truc. 587 cod. B exhibet: Tune asin pudentẽ me ee aipsa quaesistabulũ flagiti, i. e. Tun ais impudentem me esse ea ipsa quae sis stabulum flagiti. Ceteri codd. „esse ipsa“. Itaque Spengelius, ut numeros restituat, scribit: Tun me ais impudentem esse ipsa quae cett. — Sed cum in scriptura codicis B satis certo appareat „ea ipsa“, ubi pronomen „ea“ ferri nequit, certe cum Schoellio „eapse“ restituendum est. Totum versum autem partim cum Schoellio partim cum Spengelio sic lego: Tun me ais impudentem esse eapse quae cett.

Praeterea pro „ea ipsa“, quod vulgo cum codd. legitur, recte ab uno alterove viro docto „eapse“ scribitur in his versibus:

Cas. III, 4, 12 Quin ea ipsa ultro mihi negavit. „eaps“ A.

Cas. III, 4, 14 Quin ea ipsa me allegavit, qui istam arcesserem. — „eapse“ legendum est, quod v. 12, qui nostro versui accuratissime respondet, haec forma in A legitur.

Cas. II, 1, 15 Sed foris concrepuit atque ea ipsa eccam egreditur. „ea ipsa“ codd. Pall. „ipsa“ A. — „ea“ ex genuina forma „eapse“ ortum est; certe ferri nequit, cum et Plautus et Terentius nunquam, ubi nova persona in scaenam prodit, dicant „is ipse“ vel „ea ipsa“, sed semper „ipse“ vel „ipsa“.

Unus restat v. Aul. 101, qui in codd. sic scriptus est: Pol ea ipsa, credo, ne intromittatur cavet. — Quoniam vidimus saepissime pro „eum ipsum“ „eumpse“, pro „eam ipsam“ „eampse“, pro „ea ipsa“ scribendum esse „eapse“, certe Bothii emendationem „eapse“ comprobabimus, quamquam ceteri editores codicum lectionem receperunt.

G.

De accusativo fem. „ipsam“ et „eampse“.

„ipsam“ invenitur: Poen. 323. Trin. 755.

Trin. 1145: Neu qui rem ipsam posset intellegere, thensaurum tuom. — Non offendendum esse in caesura neglecta neque opus esse lectione: Neu qui rem eampse intellegere posset cett., quam Ritschelius proponit (Proll. CCLXXVI), exemplis demonstratur, quae Brixius in ed. tertia ad hunc versum affert.

Trin. 800 codd.: uxorem quoque ipsam hanc rem ut

celes face. — Utrum cum Ritschelio: Uxorem quoque eampse hanc rem uti celes face, an cum Bothio: Uxorem ipsam quoque cett., scribendum sit, diiudicari nequit, cum utraque emendatio facillima sit. Ceterae enim coniecturae minus verisimiles sunt.

De Mil. v. 1215 cf. p. 17, de Truc. 864 cf. p. 25.

„eampse" in optimis codd. invenitur: Aul. 815. Cist. I, 3, 22. Men. 772. Rud. 1278.

Praeterea „eampse" recte legitur:

Mil. 1069 Iube eampse exire huc ad nos. — „iubeam ipse" codd. „eampse" Rittershusius.

Poen. 272 Propudium? quasi bella sit, quasi eampse reges ductitent. — „eam ipse" BCD, „eam ipsi" F, „eampse" Camerarius.

Truc. 133 Quia te adducturam huc dixeras eumpse, non eampse, cf. p. 16.

Men. 637 Eampse roga. Quid hoc est, uxor? Quidnam hic narravit tibi? — „Eam plus" Ba, „Eam'psus" Bb, „Eam psusei" C, „eampse" Ritschelius. Minime mihi probatur forma plane singularis „eampsus", quam L. Muellerus, de re metr. p. 304, cui Kochius Nov. annal. 105, 832 astipulatur, proponit. Schwabius Nov. annal. 105, 414 emendat „Eam ipsus, ei, roga", quae lectio proxime accedit ad codicis C auctoritatem. Sed imperativus „ei" cum per se ferri nequit (cf. Brixius ed. III in append. ad h. v.) tum literae „ei" in optimo codice B omissae sunt.

Truc. 467 in cod. B scriptum est: Bene si facere incepit, eius enī scito (i. e. enim cito) odium percipit. — Schoellius scribit: Bene si facere incepit, eampse nimis cito odium percipit; quae coniectura non magis mihi probatur quam aliae multae, quibus viri docti hunc versum tentaverunt.

Amph. 109 legitur: Et gravidam fecit is eam compressu suo; quae lectio cum optime se habeat (cf. Klotzius, Nov. annal. 51, p. 241 sq.), reicienda est Fruterii coniectura: fecit eampse compressu.

Nullam auctoritatem habet, quod in versu corruptissimo Merc. 4 Leo scribit: Rem eampse ecfatus sum orsusque inde exilico.

H.

De ablativo sing. fem. „ipsa“ et „eapse“.

„ipsa“ legitur Cist. IV, 2, 99. Mil. 1292.

Trin. 1054 A: Hoc qui in mentem venerit mihi? modo re ipsa commotus sum. — Certe praeferenda est ceterorum librorum lectio „re ipsa modo commonitus sum“. Nullam offensionem esse in numeris „re ipsa ...“ neque opus esse Ritschelii coniectura „re commonitus sum modo“, Brixius demonstrat (Trin.[3] praef. p. 14). Accedit quod et Plautus et Terentius saepissime substantivum „res“ cum formis pronominis „ipse“ coniungunt, cf. Aul. 421. Epid. 713. Trin. 755. 1145. Truc. 864. Andr. 202. 359. 551. Heaut. 266. 824 cett. Certe poëtis copiosi sermonis amantissimis nuda vox „res“ non sufficiebat.

„eapse“ invenitur Curc. 534. Trin. 974.

Epid. 254 B: Haec sic aibat sic audivisse se abse atque („ab“ post „atque“ erasum) epistola. — Kampmannus, de „ab“ praep. usu Plautino p. 29 versum sic restituit: Haec sic aibat: sic audivisse ex eapse atque epistula. Aliter Ussingius et Muellerus versum conformant, sed de forma „eapse“ ne ei quidem dubitant.

Bacch. 312 codd.: quin in ipsa aede Dianae conditumst. — Utrum hic, ut numeri emendentur, cum Ritschelio „in eapse aede“ an cum Pylade Hermannoque „ipsa in aede“ legendum sit, incertum est, cum utraque emendatio facillima sit. — Ceterum prorsus reiciendum est, quod Hermannus, Ritschelius, alii scribunt „deae Dianae“, neque enim unquam apud Plautum vel apud Terentium dicitur „deus Iuppiter, dea Iuno“. Ussingius addit „Ephesiae“ coll. Bacch. 307 et Mil. 411, sed hac voce recepta deterrimi numeri efficiuntur. Certe simplicissima est emendatio Goelleri „Dianai“, quam Goetzius et Leo recipiunt.

I.

De nominativo fem. plur. „ipsae“ et „eaepse“.

Forma „ipsae“ invenitur: Cas. IV, 1, 19.[1]) Poen. 30. Pers. 499. Rud. 663.

[1]) Cas. IV, 1, 19 legitur: ut ipsae solae ventres distendant suos.

Pseud. 833 codd. Pall. exhibent: eae ipsae (ipse B) sese patinae fervefaciunt ilico; contra cod. A: EA. PS. SE, ubi sine dubio forma „eaepse" latet. — Qua de causa Ritschelius, Buechelerus, Leo formam „eaepse" improbent, me non intellegere confiteor, cum mea quidem sententia vel ex lectione codicum Pall. forma „eaepse" colligi possit. Nam sine dubio „eae ipsae" eidem corruptelae debetur atque „ea ipsa", „eum ipsum" cett., quas scripturas semper ex genuinis lectionibus „eapse, eumpse" cett. ortas esse supra vidimus. Contra in lectione codicis B „eae ipse"

— Quoniam infra p. 48 adn. de collocatione vocis „unus" cum pronominibus coniunctae dicendum est, hoc loco non est alienum, paucis de voce „solus" disserere. —

Si vocabulo „solus" pronomen personale additur, hoc apud Plautum plerumque anteponitur: Amph. 425. Aul. 190. 549. 702. Asin. 362. 500. Capt. 262 („nos soli" codd. et edd., minus bene Fleckeisenus „soli nos"). 263. 602. Cas. I, 1, 1. III, 5, 57. Cist. I, 2, 26. III, 14. Epid. 364. Most. 602. 1126. Mil. 279/80. 356. 1019 (bis). Pseud. 394. 632. 801. 807. 908. Rud. 201. Stich. 646. Trin. 395. 1149/50. Truc. 387.

Rarius Plautus contraria collocatione utitur et id plerumque metrica ratione vel certo consilio commotus: Asin. 163. 519. Bacch. 1089. Most. 204 (bis). Mil. 282. Pers. 779. Trin. 153; praeterea ubi tamen lectio est incerta: Most. 205. 880.

Terentius semper dicit „ego solus, tu solus, cett.": Andr. 276. 285. 293. 596. 747. Eun. 407. 480. 793. 1004. Heaut. 131. 398. Hec. 144. 213. 229. Phorm. 317. 587. Adelph. 456. Adelph. 34 interpungendum est: Et tibi bene esse soli, cum sibi sit male. Falso distinguitur apud Umpfenbachium et Fleckeisenum: esse, soli cum.

Non valet certa lex, si „solus" cum formis pronominis „hic" coniungitur. Saepius tamen praecedit pron. dem.: Amph. 1083. Cist. I, 1, 105. Curc. 104. Pseud. 797 („hic solus illis" codd., Ritsch. et Lor. scribunt „hic solis illis"). Trin. 1110. Andr. 381. 964. Eun. 439. Phorm. 754 (unam ille quidem hanc solam). 761. Hic, Phorm. 761, cod. Bemb. exhibet „hic solus", quod lectioni ceterorum codd. „haec sola" praeferendum esse Dziatzko (in ed. Leipzig 1874, p. 106) recte contendit contra nonnullos editores.

Contra sequitur pronomen „hic": Curc. 248. Pseud. 678. Hec. 762. Adelph. 833 (solum unum hoc).

„ille" anteponitur: Most. 216. Merc. 384. Pseud. 615; postponitur Eun. 163 et ex Ritschelii lectione Pseud. 797.

„is" praecedit Trin. 509/10. Andr. 2. Adelph. 548; sequitur Adelph. 49.

nemo dubitare potest, quin eadem corruptela exstet, quam in „eum ipse“: Most. 346. Truc. 890. 891. Pers. 603 et in „eam ipse“ Mil. 1069 et Poen. 272.

Totum versum cum Buggio (Philol. XXXI, 256), quem Lorenzius sequitur, legendum esse puto ita: Eaepse sese fervefaciunt ilico. — Cogitabam etiam de eiusmodi lectione: Eaepse patinae fervefiunt ilico. Sed quacunque ratione cetera verba huius versus legenda sunt, certe non est dubitandum de forma „eaepse“.

K.

De genetivo plur. „eorumpse“ et „earumpse“.

Vidimus adhuc priorem pronominis partem tum flexam esse, si prior vox in vocales o (eopse), a (eapse), ae (eaepse) vel in consonantem literam m (eumpse, eampse) desinebat. Iam una forma genetivi plur. restat, quae formari possit: eorumpse, earumpse. Et re vera Leo (Mus. Rhen. XXXVIII pp. 3 sqq.) recte, ut mihi quidem videtur, demonstrare conatur, a Plauto has quoque formas usurpatas esse. Facillime enim his formis receptis emendantur hi versus:

Trin. 1048 sq. codd. Pall.: Male fidem servando illis quoque abrogant etiam fidem, Qui nil meriti, quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant. — Pro lectione „ex eorum“, in qua iam Ritschelius in altera edit. offendit, Leo scribit: eorumpse.[1]) Annotandum est codicis A lectionem „eorum ex“ paulo propius accedere ad genuinam formam „eorumpse“.

Mil. 186 in cod. A legitur: Profecto ut ne quoquam de ingenio degrediatur muliebri Earumque artem et disciplinam obtineat colere. Quemadmodum? — Cum hic quoque exspectemus „suamque artem“ vel „ipsarumque artem“, Leo emendat „earumpse artem“.

Eadem ratione „eorumpse“ scribendum est Truc. 112,

---

[1]) Afferre possis contra Leonis emendationem versum Pers. 212: Heia, heia. Tuo ex ingenio mores alienos probas. — Sed verbum probandi cum nudo ablativo coniungitur etiam Plin. 12, 14, 32 Tus probatur candore cett. et Ov. Pont. II, 3, 8 Vulgus amicitias utilitate probat.

quem versum Schoellius sic legit: Nam ipsi vident quom eorum adgredimur bona atque etiam ultro ipsi adgerunt ad nos. — Sed versus alia quoque multa habet, in quibus offendas.

Formas „ipsorum, ipsarum“ hic non scribendas esse, idem Leo recte admonet. Neque enim prius inveniuntur genetivi „ipsorum, ipsarum“, quam in Rhetoricis ad Herennium. Quod minime casu factum esse potest, nam et Plauto et Terentio saepius occasio offerebatur, ut genetivo pluralis uterentur; sed putandum est, has formas Plauti et Terentii aetate nondum vulgatas fuisse.

Leo Terentio quoque formam „earumpse“ vindicat. In desperatissimo enim versu Hec. 163 „Ad exemplum ambarum mores earum existimans“ scribit: earumpse aestimans. — Sed ut mihi persuasum est, Terentium formas „eumpse“, „eampse“ cett. non usurpavisse, sic hanc quoque formam ab elegantia sermonis Terentiani abhorrere puto. Sane concedendum est, vix casu fieri, ut genetivus plur. huius pronominis in fabulis illius non inveniatur. Sed videtur Terentius utramque formam consulto evitasse: altera enim „earumpse“ obsoletior esse ei videbatur, altera autem „ipsarum“, quae mea quidem sententia Terentii temporibus iam exstabat, nondum satis consuetudine stabilita erat, ita ut non auderet, eam in comoediis adhibere. Facile hanc formam vitari posse, apparet ex exemplo Adelph. 820, ubi cod. A praebet „amborum“, ceteri codd. „ipsorum“.

L.
De dativo et ablativo plur.

Praeter formam „ipsis“, quae sola in codd. invenitur, testimonio Grammatici (Gr. lat. IV, 547, 37 cf. IV, 545, 11) forma „ipsibus“ confirmatur et, ut videtur, Plauto tribuitur. Neque tamen habemus, cur formam „ipsis“ in codd. scriptam mutemus.

Restat, ut paucis disseram de formis **„apse, reapse, rempse, sirempse, eampsus, sapsa, sumpse, ipsipsus, ipsemet, ipsissimus“.**

Formam „apse" pro „eapse", quam Consentius (Gr. lat. V, 396) commemorat, Ribbeckius (trag. Rom. fragmt.[2] coroll. p. 39) Plauto vindicare studet. Quod vir doctissimus putat, confirmari hanc formam lectione „ab se", quam saepe invenimus, mea quidem sententia cum in aliis versibus (Truc. 24. 496), tum Rud. 478, ubi codice B „eapse", codice C „ab se" exhibetur, traditis literis demonstratur, lectionem „ab se" mero librariorum errori tribuendam esse. — Cum vox „apse" praeter omnem analogiam formata sit, non dubito, quin Leo eam recte reiecerit.

„reapse" semel verisimillima coniectura Camerarii scribitur Truc. 815, quem versum Schoellius sic scribit: Idem istuc ipsa, etsi tu taceas, reapse experta intellego. Codd. „re ab". — Muellerus Pr. Pl. p. 277 hanc formam pro tradita lectione „re ipsa" scribit etiam Trin. 1054 et Adelph. 955, ubi tamen mutatione non opus est. — Bis invenitur „reapse" apud Pacuvium: 26 et 374, saepius apud Ciceronem; cf. Neuius Formenlehre p. 197.

Truc. 864 in cod. B scriptum est: Di immortales, ut planiloquast, paucis ut rēpsā attigit; ceteri codd. „rem ipsam". Minime mihi probatur „rempsam", quam formam Kochius (Nov. ann. 105, p. 832) defendit. — Buggius (Philol. 31, p. 261), quem Schoellius sequitur, proponit lectionem „rempse" et eam comparat cum „sirempse". Sed multum interest inter has duas formas. „sirempse" enim vel potius „siremps" maxime usitatum erat in formulis iuris, ubi saepissime voces antiquas servatas esse constat. Contra forma „rempse", si unquam exstitit, certe mature exolevit. Mea quidem sententia, ut in plurimis huius fabulae versibus, hic corruptela exstat et scribendum est: rem ipsam.

„sirempse" nunc certa coniectura legitur Amph. 73: „Sirempse legem iussit esse Iuppiter", ubi poëta genus dicendi imitatur, quale est in legibus et in formulis iuris. De voce „siremps" — nam haec forma saepissime occurrit — disputavit doctissime Ritschelius op. IV, 62 sqq. cf. Bergkius, op. I, 525.

De forma „eampsus" cf. p. 20.

Truc. 496, quem versum cum Schoellio sic legendum

esse vidimus: Quae alios conlaudare, eapse sese vero non potest cf. p. 17, Scioppius Susp. lectt. IV, 11, p. 204, ubi „eapse" restituit, etiam de forma „sapsa" cogitat, quam formam Festus p. 325 bis testatur, cum dicit: Idem (Ennius) cum ait sapsam pro ipsa nec alia, ponit in l. XIII: Nam res sapsa loco sese ostentatque iubetque. Et Pacuvius in Teucro: Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet. — Sed sine dubio haec forma item ut formae „sas, sa, sam", quae ipsae quoque apud Ennium inveniuntur, convenit sermoni epico et tragico neque in comoediam transferenda est.

Hac de causa etiam forma „sumpse" parum probabilis est, quam Bergkius proponit Truc. 159. Codd. BCD: Quia quia alterum incusat probri, sumpsit seniteri oportet. L: „quia qui" „se ipsum intueri". Bergkii coniectura „sumpse enitere" probatur Buechelero, Schoellio, Leoni; contra Bergkius ipse praefert „ipsum nitere". Spengelius codicis L lectione refutata scribit „eumpse sapere oportet." Certa emendatio nondum inventa est.

Plane reiciendum est „ipsipsus", quod legitur in cod Lang. Cist. II, 3, 58, ubi optimi codices exhibent: Is ipsus est. eho tu, quam vos igitur filiam cett. — Camerarius etiam Truc. 123 coniectura „ipsipsus" scripsit.

„ipsemet" semel legitur: Amph. 102 Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum. — Omnino rarissime haec vox invenitur cf. Senec. ep. 117, 22 (Fickert) et Cic. Verr. III, 1, 3. — cf. Ruhnkenius ad Muret. oper. I, 221.

Ioco comico, ut Pompeii grammatici verbis utar (Gr. lat. V, 153), dictum est „ipsissimus" Trin. 958: „Ipsus, inquam, Charmides sum. Ergo ipsusne's? Ipsissimus", quam superlativi formam ab Afranio quoque usurpatam esse idem grammaticus testis est. Similiter *αὐτότατος* formatum est Aristoph. Plut. 83. — Teuffelius (Gesch. d. röm. Lit.[4] p. 804, Anm. 2) contendit, postea altero vel tertio post Chr. n. saeculo, cum scriptores maxime antiquis vocibus indulgerent, ab uno alterove usurpatam esse hanc vocem etiam in seria oratione, ubi nihil iocosi efficere volebant.

CAPUT ALTERUM.

De coniunctione pronominis „ipse“ cum substantivis.

A.

Apud Plautum, ut apud alios scriptores, pronomen „ipse“ si additur substantivo, et sequitur et praecedit substantivo, ita tamen ut saepius pronomen praecedat, quod his exemplis demonstratur:

Anteponitur pronomen: Amph. 252 ipsusque Amphitruo, 415 ipsus Amphitruo. Asin. 876 ipsum hominem. Aul. 414 ipsus magister, 815 eampse anum. Capt. 292 ipse genius, 810 ex ipsis dominis. Curc. 465 ipsi Phaedromo. Epid. 359 ipse cautor, 713 ipsa res. Bacch. 284 ipsum nomen, 312 in eapse aede vel ipsa in aede cf. p. 21. Men. prol. 15 ipso horreo, 898 ipsum hominem. Mil. 803 ipsi Soli, 940 eapse mulier cf. p. 18, 1145 ipse miles, 1292 ex ipsa mora. Pseud. 644 ipsi Ballioni, 669 ipsa Opportunitas, 766 ipsum oppidum, 953 ipsum lenonem. Poen. 712 ipsi lenoni, 1138 in ipso tempore. Pers. 196 ipsi Lemniseleni. Stich. 296 ipsa domina. Trin. 950 eumpse Charmidem cf. p. 16, 974 in eapse occasiuncula, 1070 ipsus homo.

De Amph. v. 170, qui in codd. sic scriptus est: Ipse dominus dives operis et laboris expers, cf. p. 8.

De Pseud. v. 833, ubi in codd. Pall. legitur: Eae ipsae sese patinae cett., cf. p. 22.

Pseud. 1010 „atque ipse harpax quidem“ „harpax“ est adiectivum. Ritschelius scribit „Harpax“.

Bacch. 544 codd.: Sibi ne invideatur, ipsi ignavi recte cavent. — Qui versus multis virorum doctorum coniecturis tentatus spurius habendus est cum Lachmanno, Goetzio, aliis.

Diiunctum est uno vel pluribus vocabulis pronomen a substantivo in his versibus: Amph. 88 Ipse hanc acturust Iuppiter. Asin. 438 ipsum adducere tarpezitam Serambum. Cas. II, 5, 15 ipsi me concessurum Iovi. Epid. 40 ipse ubist Stratippocles, 360 ipse in meo collo tuos pater. Bacch. 397 ipsi culpabunt mali, 815 in eopse adstas lapide v. p. 16. Men. prol. 46 ipsus eodemst avos vocatus nomine. Pseud. 1209

ipsus verus Harpax. Pers. 543/4 ipse optume advenit hospes ille. Rud. 663 ipsae huc egrediuntur timidae e fano mulieres. Trin. 401 ipse exit Lesbonicus, 611 ipsus ultro venit Philto, 749 ipsum adeam Lesbonicum, 966 ab ipso id accepisti Charmide. Truc. 24 eapse unquam educet Venus.

Epid. 186 codd.: Sed eccum ipsum ante aedis conspicor Apoecidem. Probatur mihi Goetzii lectio: .. conspicor erum meum atque Apoecidem.

Asin. 349 legitur: Ipsum vero se novisse callide Demaenetum. — Langenus p. 114 cum recte contendit particulae „vero" apud Plautum semper vim affirmativam, nunquam adversativam inesse, hunc versum spurium esse putat, propterea quod in eo haec particula adversativam vim habeat. Sane conexu sententiarum clare demonstratur, hunc versum oppositum esse versui antecedenti „sed se eum non novisse hominem qui siet". — Sed mea quidem sententia hoc contrarium non exprimitur particula „vero", sed toto ordine enuntiationum. Pronomen „ipse" autem saepius sic usurpatur, ut in initio enuntiationis positum vim adversativam habeat, cf. Sall. Cat. 48, 9: Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi (Crassus selbst aber) et ib. 51, 43: Sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos (sie selbst aber). Similia saepissime occurrunt. Quod Langenus putat, sententiam huius versus satis expressam esse 354/55: „si erum vis Demaenetum, quem ego novi", mihi quidem minime probabile est, Plautum quasi obiter et in transcursu brevi enuntiato relativo dixisse, Demaenetum mercatori notum esse, cum haec res maxime pertineat ad oeconomiam totius fabulae. — Cetera argumenta viri doctissimi subtiliora quam veriora sunt.

Postponitur pronomen his locis: Amph. 756 mihi viro ipsi. Asin. 433 Sticho vicario ipsi. Aul. 421 res ipsa. Curc. 507 in foro ipso. Cist. IV, 1, 18 in tempore ipso. Most. 795 senex ipsus. Men. prol. 21 mater ipsa. Poen. 323 Venerem ipsam. Stich. 287 regem ipsum. Trin. 755 rem ipsam, 800 uxorem ipsam quoque vel uxorem quoque eampse cf. p. 19 sq., 1054 re ipsa cf. p. 21, 1145 rem ipsam. Truc. 864 rem ipsam cf. p. 25.

Merc. 278 cum codd. legendum esse „Pisto ipsi facito coram ut tradas in manum“, Bergkius mihi persuasit (Diar. ant. stud. 1855, p. 296).

Trin. 126 Minas quadraginta adulescenti ipsi in manum; quem versum non recte Ritschelius in altera editione spurium esse putat. Cf. Brixius ad h. l.

Praeterea postponitur pronomen uno tamen vel pluribus vocabulis interpositis: Amph. 94 Iuppiter hodie ipse. Capt. 615 Aiacem, hunc quom vides, ipsum vides. Most. 687 Simo progreditur ipsus. Men. 109 Menaechmum eccum ipsum. Pseud. 987 te Ballionem esse ipsum, 1221 Pseudolus fuit ipsus. Trin. 363 sapiens quidem pol ipsus.

Itaque quadragies septies pronomen anteponitur, vicies ter postponitur.

B.

Apud Terentium anteponitur pronomen in his versibus: Andr. 193 ipsum animum, 202 ipsam rem, 359 ex ipsa re, 527 ipsus gnatus cf. p. 10, 551 ipsa res, 916 in ipsis nuptiis. Eun. 77 ipse amor, 231 ipsam Thaidem, 905 ipse frater. Heaut. 266 ex ipsa re, 576 ipsius facti, 824 ipsa re, 894 ipse gnatus, 969 te ipso herede. Hec. 126 in ipsis nuptiis, 128 ipsam Bacchidem, 151 ipsi virginist, 567 ipsam rem, 627 in ipso tempore. Adelph. 89 ipsum dominum, 229 in ipso articulo, 479 ipsa virgo, 583 ipsum lacum, 733 ipsa re, 773 in ipsa turba.

Adelph. 888 in codd. scriptum est: Hoc verumst et ipsa re experiere propediem. — Itaque prior vocis „ipsa“ syllaba corripitur. Transpositione „re ipsa“, quam cum Fleckeiseno Wagnerus et Spengelius exhibent, non opus est.

Andr. 532 optimi codd. DG exhibent: Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam Chremem. Ceteri codd., quos Fleckeisenus et Umpfenbachius sequuntur, omittunt „Chremem“, quo nomine tamen carere non possumus, praesertim cum etiam Donatus id legisse videatur, cf. Bentleius ad h. l. — Ut senarius exsisteret, Goveanus, quem alii ut Wagnerus sequuntur, scripsit „in tempore“, quod invenitur Andr. 758. Heaut. 364. Phorm. 464. Amph. 877. Capt. 836

sed „in ipso tempore" defenditur his locis: Andr. 974. Hec. 627. Cist. IV, 1, 18. Poen. 1138. Pacuv. 238. Omnium autem lectionum maxime mihi probatur Bentleiana: Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum Chremem.

Interposita sunt unum vel plura vocabula in his versibus: Andr. 576 ipsus mihi Davos, 905 ipsi cupio Glycerio. Eun. 392/3 non tam ipso quidem dono, 635 ad ipsum veni devorticulum. Phorm. 108 in ipsa inesset forma. Hec. 395 ipsa indicat res, 670 ipse neglexit pater. Adelph. 761 ipsa si cupiat Salus.

Contra sequitur pronomen: Andr. 974 in tempore ipso. Eun. 319 flos ipsus, 375 forma et aetas ipsast, 543 homo ipse, 658 res ipsa, 659 virgo ipsa, 705 res ipsa, 788 eccam Thaidem ipsam, 835 hominem ipsum, 891 frater ipse. Heaut. 636 re ipsa. Phorm. 100 virgo ipsa, 575 senectus ipsa, 718 rem ipsam, 750 matrem ipsam, 889 re ipsa. Hec. 255 te judice ipso, 417 re ipsa, 428 Pamphilum ipsum, 778 in re ipsa. Adelph. 139 iste tuos ipse, 318 adulescenti ipsi, 338 res ipsa = 479. 730. 796 rem ipsam, 848 meridie ipso, 860 re ipsa = 955.

Spurius est, quod primus Bentleius intellexit, versus Phorm. 356: Nec Stilponem ipsum scire qui fuerit? Negat.

Praeterea pronomen anteponitur, ubi tamen uno vel pluribus vocabulis a substantivo diiunctum est, in his versibus: Andr. 873 rem potius ipsam, 948 res redduxit me ipsa. Heaut. 851 ea res nunc agitur ipsa. Hec. 375 res monebat ipsa. Adelph. 314 seni animam primum exstinguerem ipsi.

Itaque pronomen antepositum est tricies sexies, postpositum tricies quater.

CAPUT TERTIUM.

De collocatione pronominis „ipse“ cum aliis pronominibus coniuncti.

A.

„ipse“ cum pronomine personali coniungitur apud Plautum in his versibus: Capt. 581 tute ipse. Curc. 254 tute ipse, 712 et 714 me ipso. Epid. 39 tu ipse. Bacch. 214 me ipsum, 1160 jam ego ipsus cf. p. 6. Most. 96 vosmet ipsi, 634 tu ipsus, 910 ego ipse. Mil. 844 tu ipse. Pseud. 214 te ipsam. Poen. 1381 tute ipse. Rud. 730 tu ipsus. Stich. 373 tutin ipsus cf. p. 9.

Coniectura eadem collocatio facta est: Pseud. 508 tu mi hercle ipsus, cf. p. 7 et Pseud. 1142 tute ipsus, cf. p. 15.

Trin. 860 recte Fleckeisenus et Brixius scribunt cum cod. A: Dabo operam ut me ipsum plane esse sycophantam sentiat. Minus bene Ritschelius ceteros codd. secutus legit: me esse ipsum plane.

Diiunctum est „ipse“ a pronomine personali uno vel pluribus verbis his locis: Amph. 756 mihi viro ipsi (ubi „ipsi“ etiam ad substantivum „viro“ referendum est). Asin. 114 te quoque ipsum, 502 tu quoque ipse. Merc. 481 tute heri ipsus, 759 tu istic ipsu's. Pseud. 723 tu istic ipsu's, cf. p. 36. Poen. 1046 ego sum ipsus. Pers. 295 te cruci ipsum, 602/3 te malo tamen eumpse, 744 te quoque etiam ipsum. Trin. 985 is ego sum ipsus Charmides (quae verba construenda sunt „ego ipsus sum is Charmides“).

Itaque in omnibus his exemplis pronomen personale praecedit. Propterea Trin. 929 recte editores novissimi verba ita distinguunt: „qui ipse, egomet ubi sim, quaeritem“. Olim distinguebatur: „qui ipse egomet, ubi sim, quaeritem“ vel „qui, ipse egomet ubi sim, quaeritem“, cf. Meierus opusc. acad. II, 324.

Contraria collocatio horum pronominum invenitur in quattuor versibus, sed ex his tres iustam suspicionem movent.

Rud. 1259 sq. legitur: Nam illic cum servo siquo congressus foret, Et ipsum sese et illum furti astringeret. —

Hic certe insolita collocatio propterea praefertur, ut contrarium, quod est inter „ipsum“ et „illum“, magis prematur. Accedit quod pronominum „ipsus sibi, ipsus se“ collocatio, quae saepissime invenitur, multum valet ad illam pronominum positionem efficiendam.

Pseud. 220 codd. exhibent: aut num ipse ego pulmento utor magis unctiusculo? — Sed cum et hic et proximi versus alias quoque permultas offensiones praebeant, equidem non dubito, quin collocatio „ipse ego“ corruptelae debeatur.

Post Stichi versum 207 in codd. Pall. invenitur: Ipse egomet quamobrem auctionem praedicem. — Qui versus recte omissus in cod. A et olim a Guyeto ut insiticius notatus est.

De Pseud. v. 978: Ipse ego is sum, adulescens, quem tu quaeris cf. p. 34.

Si quis putat collocationem „ipse ego“ in Pseud. vv. 220 et 978 non esse mutandam, tamen hoc certe apparet, cavendum esse, ne coniectura haec insolita pronominum collocatio Plauto tribuatur. Quam legem haud ita raro a viris doctis violatam esse apparet ex eis, quae supra ad hos versus annotavi: Asin. 714 (v. p. 8), Bacch. 565 (v. p. 8), 1160 (v. p. 6), Mil. 1221 (v. p. 14), Pseud. 914 (v. p. 9), Truc. 842 (v. p. 16).

Propterea quoque reiciendum est, quod Buechelerus proposuit fragm. 132: Inopia servumst. ipse ego me locavero. — Aliter Studemundus versum restituit; sed cum singulae tantum literae servatae sint, indagari nequit, quid olim scriptum fuerit.

Eandem legem atque Plautus sequitur Terentius, ita ut hac quoque re confirmentur, quae supra disputavi. Inveniuntur autem apud Terentium haec exempla[1]): Andr. 151 tute ipse, 345 te ipsum = 533, 752 tute ipse. Eun. 743 te

---

[1]) De collocatione pronominum „ipse“ et „idem“ cum aliis pronominibus coniunctorum apud Terentium iam C. Reinius disputavit in diss.: De pronominum apud Ter. collocatione. Lipsiae 1879. Sed ut materiem totam praeberem, iterum has partes paucis tractandas esse putavi, praesertim cum usu Terentiano Plautina consuetudo stabiliatur. Ceterum Reinius nonnulla omisit, alia non recte intellexit.

ipsum, 893 tute ipse. Heaut. 116 se ipsum, 166 me ipsum, 622 te ipsum = 844, 969 te ipso herede. Phorm. 222 nosmet ipsos, 472 te ipsum. Hec. 260 se ipsum, 692 te ipsum, 748 te ipsam, 784 „tu ipse“ vel „tute ipse“, cf. p. 11, 851 in me ipso. Adelph. 81 te ipsum = 266 = 608, 321 te ipsam. Praeterea Heaut. 758 te mi ipsum (omissum est „mi“ vel „mihi“ in cod. A). Hec. 255 te judice ipso. Adelph. 461 te quaerebam ipsum, 690 te mi ipsum.

Non recte offendit Reinius p. 61 in ordine pronominum „te mi ipsum“: Heaut. 758 et Adelph. 690. Saepissime enim inveniuntur pronomina personalia, imprimis pronomina primae personae, interposita inter duo vocabula artissime inter se cohaerentia, quod paucis exemplis confirmare liceat: Merc. 542 hunc me diem. Phorm. 184 temporis mihi punctum. Most. 405 hasce ego aedis. Eun. 363 numquid me aliud. Hec. 570 hoc mi unum. Merc. 477 omnia ego istaec (cf. Trin. 655 et Rud. 1100 Fleck.). Amph. 525 ea tibi omnia. Hec. 364 qua me propter. Saepius occurrit „idem ego istuc“, cf. p. 47.

Adelph. 628 recte ita verba distinxit Reinius: Egomet rapui ipse; egomet solvi argentum; ad me abductast domum. — Antea interpungebatur: Egomet rapui; ipse egomet cett.

Eun. 566 A: Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem. Ceteri codd.: me ipsum. — Cum conexu sententiarum forma nominativi postularetur, Bentleius coniecit „me ipse“. Rectius sine dubio alii a lectione codicis A profecti scripserunt: Cum ipsus me noris cett.

Eandem legem sequuntur etiam haec: Attii v. 372, quem Ribbeckius sic exhibet: Quae subsistat, modo tute ipse tete offirma et compara, Ennii v. 293: te ipsum hoc oportet profiteri et proloqui (Luc. Muellerus vix recte cogitat de coniunctione pronominum „ipsum hoc“), Ennii in Praetext. rell. pag. 279: Bene mones, tute ipse cunctas cauto: vide fortem virum.

B.

Cum pronomine „is“ coniungitur „ipse“ apud Plautum his locis: Capt. 580 is est servos ipse. Cist. II, 3, 58 is ipsust. Epid. 487 is ipse. Stich. 552 is ipse. Trin. 433 is herclest ipsus, 985 is ego sum ipsus Charmides, 987 is ipsus ne's?

Amph. 952 cum Palmero legendum esse puto: Is adeo impransus ipsus ludificabitur, cf. p. 7.

Merc. 598 codd.: Sed isnest, quem currentem video? ipsus est. ibo obviam. — Ut hiatus tolleretur inter „video" et „ipsus", iam Acidalius, quem Ritschelius sequitur, scripsit „is ipsus est", quae coniectura aptior est constanti usui Plautino quam quod Muellerus coniecit Pr. Pl. p. 559 „atque ipsus est".

De Stichi v. 373, ubi codd. Pall. exhibent: tun eum ipsum cett., cf. p. 9.

Longum est omnia exempla denuo enumerare, ubi in codd. legitur „ea ipsa, eum ipsum, cett", pro quibus formis „eapse, eumpse cett." legendum esse supra vidimus.

Contra omnia haec exempla pugnant duo versus: Pseud. 978 et Poen. 1112.

Pseud. 978 BC: Ipse ego istum, adulescens, quem tu quaeritas. Tune es Ballio? — A: ipse ego sum. Ritschelius legit: Ipse ego is sum, adulescens, quem tu quaeris. Tune's Ballio? — Collocatio „ipse ... is" defendi potest eo, quod enuntiatio relativa sequitur, ut „is" quodammodo attrahatur pronomine „quem" (cf. ipse ille, qui p. 36). Sed cum in optimo codice A „is" omissum sit (cf. Loewius anal. Plaut. p. 171), non dubito hanc vocem ex versu eicere. — Nulla ratione defendi posse puto collocationem „ipse ego" itaque coll. Poen. 1046 „Ego sum ipsus, quem tu quaeris" scribo: Égo sum ipsús, adulescens, quem cett. Pleniorem formam „ipsus" in simili sententia praeferri supra pp. 11 sq. satis demonstravisse mihi videor.

Poen. 1112 A: Statura hau magna, corpore aquilo; ipsa east. — Cum idem finis versus ceteris codicibus omnibus exhibeatur, mutare non audeo.

Apud Terentium pronomen „is" semper praecedit: Eun. per. 2 id ipsum, 908 id ipsum (bis.) Heaut. 313 eum ipsum, 779 id ipsum, 851 ea res nunc agitur ipsa. Phorm. 178 is est ipsus, 738 east ipsa (ita A, codd. BCEFP: ea ipsa est).

Adelph. 538 verisimillima est lectio Bentlei: Pater est? Is ipsust cett. — Codd. omittunt „is".

Itaque falso scribit Umpfenbachius Andr. 945: Heus Chremes, quod quaeris, Pasibulast. Ipsa east. East. — Codd. „Ipsast. East", qui exitus certe retinendus est, utut cetera verba huius versus restituenda sunt.

Adelph. 627 legitur: Ipsum id metuo ut credant: tot concurrunt verisimilia. „id" omittitur in cod. G, superscriptum est altera manu in cod. A. — Reinius p. 64 recte offendens in ordine pronominum „ipsum id" emendat „id metuo ipsum". Facilior tamen est emendatio, quam Dziatzko recepit „id ipsum", ita ut prior vocis „ipsum" syllaba corripiatur.

Phorm. 227 A et Donatus: Memini. Em nunc ipsast opus ea aut siquid potest cett. In ceteris codd. omittitur „ea". Reinius proponit: Memini. Em ea nunc ipsast opus aut cett., cum recte admonet, saepissime particulam „em" ante pronomina demonstrativa „is, iste, cett." inveniri. Sed cum persaepe etiam „em nunc" inveniatur cf. Amph. 307. Cas. III, 1, 11. Merc. 909. Epid. 270/71. Poen. 420. Trin. 536. Andr. 683, non licet coniectura hanc collocationem maxime usitatam tollere. — Simplicissime Dziatzko difficultatem tollit, cum commate post „opus" posito scribit: Em nunc ipsast opus, ea aut, siquid potest, meliore et callidiore.

C.

Si pronomina „hic" et „ipse" inter se coniunguntur, certa lex non valet.

Apud Plautum inveniuntur haec exempla: Capt. 279 ipsus hic. Cas. II, 8, 34 hic ipsus. Epid. 193 ipsi hi quidem. Bacch. 1206 ipsi hi. Mil. 1081 hic ipse. Rud. 777 hunc quoque adserva ipsum.

Pseud. 766 codd.: Iam ego hoc ipsum oppidum expugnatum faxo erit lenonium. — Ut numeri suaviores fierent, Guyetus scripsit: iam hoc ipsum, Bothius: iam ego hoc opp., Ritschelius: iam ego ipsum.

Apud Terentium haec inveniuntur exempla: Andr. 495 hic se ipsus (cum Donato, codd. BCEP habent „ipsus se" pronomine „hic" omisso). Eun. 770 huic ipsi. Phorm. 1011 eum hoc ipso. Adelph. 78 hic ipsus.

Andr. 312 legitur: Ipsum hunc orabo, huic supplicabo,

amorem huic narrabo seni. — Reinius, cum putet pronomen „ipse“ alii pronomini additum semper postponi, scribit „hunc ipsum“. Sane hac coniectura recepta versus paulo concinnior fit, sed cum ex quattuor exemplis regulam constituere vix liceat et cum ne Plautus quidem certum ordinem horum pronominum teneat, non dubito, quin codicum lectio retinenda sit.

D.

„ille“ et „ipse“ coniunguntur apud Plautum: Asin. 379 illest ipsus. Mil. 1003 illa ipsast. Rud. 1278 eampse illam. Epid. 101 atque ipse illic est. —

Postponitur pronomen „ille“ in his versibus, ubi enuntiatio relativa sequitur: Curc. 534 eapse illa, qua. Curc. 538 eopse illo, quo. Pers. 543 ipse optume advenit Hospes ille, qui...

Pseud. 954 recte legit Ritschelius: Illicinest? Illic ipsus est, cf. p. 7.

Mil. 1388 codd.: Ipsus illic sese iam impedivit in plagas. — Ut numeros suaviores reddant, Lorenzius et Ribbeckius scribunt „ipsus sese illic“. Luchsius l. l. transponit „illic ipsus sese“, cum paucis exemplis demonstrare conatur, Plautum pronomen „ipse“ cum aliis pronominibus coniunctum semper postposuisse, quod certe nemo concedet, qui exempla a me allata inspexerit.

Men. 962 codd.: An illi perperam insanire me aiunt, ipsi insaniunt? — Quam lectionem cum Vahleno retinendam esse puto contra Ritschelium et Brixium, qui scribunt: An illi perperam insanire qui aiunt me, ipsi insaniunt? — Pronomini „ipse“ in initio enuntiationis posito saepe vim adversativam inesse, iam supra commemoravi.

Apud Terentium semel invenitur „ille ipse“: Hec. 560.

E.

„iste“ et „ipse“ inter se coniunguntur apud Plautum: Asin. 146: Nam isti, quod suscenseam, ipsi nihil est cett. Capt. 990 istic ipsust.

Pseud. 723 teste Loewio in A legitur: „Egone? tu istic ipsus, inquam, si quidem hoc vivet caput“, quod certe lectioni turbatae ceterorum codicum praeferendum est.

Merc. 759 legitur: Immo hercle tu istic ipsu's. Vae misero mihi.[1]) — „istuc“ codd., „istic“ Pylades et Acidalius.

Apud Terentium haec exstant exempla: Andr. 350 istuc ipsum, atque istuc ipsum. Eun. 358 istunc ipsum, 564 istam ipsam. Phorm. 753 istic ipsi. Adelph. 139 iste tuos ipse (Brugmannus proponit: tuos istic ipse), 172 istuc volo ergo ipsum experiri.

Contra Phorm. 508 legitur: Ipsum istuc mi in hoc est. Heia, ne parum leno sies. — Reinii transpositionem „istuc mi ipsum“ non probo, nam quod apud Plautum „iste“ ante „ipse“ ponitur, id certe casu factum est, cum quattuor tantum exempla inveniantur.

PARS ALTERA.

De pronomine „idem“.

CAPUT PRIUS.

De collocatione pronominis „idem“ cum substantivis coniuncti.

A.

Apud Plautum pronomen „idem“ cum substantivo coniunctum est his locis: Amph. 568 homo idem, 614 patre eodem, quo, 805 in eodemne lecto? 1079 eadem nos formido.

---

[1]) De formulis „vae misero mihi, ei misero mihi“, similibus accuratissime disputavit Kellerhofius in Diss. inaug. Argentor. 1881, p. 76. Addere poterat haec: „vae capiti tuo“ invenitur in initio versus quater: Amph. 741. Curc. 314. Men. 841. Mil. 326, in fine versus bis: Most. 1002. Men. 513. „vae aetati tuae“ legitur in finibus versuum Capt. 885 et Stich. 594, ubi non recte offendunt Fleckeisenus (ep. crit. XXII) et Ritschelius (Proll. CL XXXIX). Contra Poen. 783 legitur: vae vostrae aetati. — Rud. 375 vae capiti atque aetati tuae. Men. 275 vae tergo meo. — Videmus Plautum in his quoque formulis plerumque certum ordinem verborum tenere. Terentius his locutionibus nunquam utitur.

Asin. 120 eidem homini, 201 eadem nos discipulina utimur, 640 eadem istac opera. Aul. 597 eodem modo. Capt. 42 eodemque pacto, 450 eadem opera, 778 eodem pacto. Cas. V, 2, 50 hoc eodem poculo. Cist. I, 2, 21 eandem puellam. Bacch. 60 eadem opera, 1018 eadem istaec verba, 1111 idem mihi morbus. Most. 220 eundem animum, 1039 eademque opera (v. p. 54). Men. 46 eodemst avos vocatus nomine, 749 eodem die, 1090 eandem patriam. Mil. arg. I, 4 eidem illi militi, 612 eodem consilio, 700 in eundem rursum restitues locum, 758 eidem homines. Merc. 38 eodem, quo amorem, Venus mi hoc legavit die, 263 eodem pacto. Pseud. 18 idem animus. Poen. 245 eiusdem seminis. Pers. 429 eodem mihi pretio, 699 eadem statura. Rud. 1337 eodem (illo) die. Stich. 134 idem animust, 434 eademst amica. Trin. 121 in eandem tute accederes infamiam, 710 eodem pacto. Truc. 779 eodem pacto.

Praeter Amph. 568 et 614 in omnibus his exemplis pronomen anteponitur.

Amph. 568: Homo idem duobus locis ut simul sit. — Pronomen postpositum est ad augendam vim oppositionis, quae est inter „idem" et „duobus".

Amph. 614: Davo prognatum patre eodem, quo ego sum. — Hic vox „eodem" quasi trahitur pronomine relativo „quo"; cf. p. 46.

Iam disseram paucis de eis versibus, ubi lectio dubia est.

Amph. 55 legitur: Comoedia ut sit omnibus isdem versibus. — Muellerus Pr. Pl. p. 518 adn. et Leo offendunt in numeris „ómnĭbŭs ísdem". Leo conicit „omnibus suis", Muellerus „omnis isdem". Sed cum eiusmodi anapaesti inter duo vocabula divisi saepius inveniantur, codicum lectio retinenda esse mihi videtur.

Amph. 808 codd.: Ubi tu cubuisti? In eodem lecto tecum una in cubiculo. — Ex iis, quae ad versum restituendum transpositis verbis temptata sunt, maxime mihi probatur Lindemanni coniectura: „lecto una tecum in cubiculo".

Most. 481 codd.: Necavit aurumque et ademit hospiti. — Cum coniunctio „et" ferri non possit, Ritschelius scribit: aurumque eidem ademit hospiti. Alii aliter emendant.

Rud. 329 codicum lectio perturbata esse videtur. Pareus et Weisius versus ita scriptos exhibent: Eadem hanc sacerdotem Veneriam, si quid amplius scit, Si videro, exquisivero: faciet me certiorem. — Sed structura „exquirere aliquem" pugnat contra usum Plautinum, quo postulatur „exquirere ex aliquo" cf. Capt. 251. 293. Cist. IV, 2, 99 (Weis.). Mil. 248. Pers. 487. Supplenda est praepositio „ex" Mil. 246. — Cas. III, 5, 69 (ed. Weis. = III, 5, 49 ed. Par.), ubi Pareus, ut videtur cum codicibus, legit „exquirere a te", verum esse puto, quod in nonnullis editionibus legitur „exquirere ex te". — Non huc referendus est Pseud. v. 392. — Tollitur haec offensio, si Fleckeiseni lectionem recipimus: Eadem opera, Veneria haec sacerdos siquid amplius scit, Si videro, exquisivero. — „opera" versus supplendi causa additum est.

Truc. 806 B: Ut facilius alia quam alie undẽ puerum ut nũ paret. — Eadem vel similia scripta sunt in ceteris libris. Camerarius scripsit: Ut facilius alia quam illa undest puerum alienum parit. Sed „alienum" a codicum lectione nimis longe recedit. Gepperti coniectura „puerum uterinum" vel propterea reicienda est, quod vox „uterinus" quinto demum vel sexto post Chr. n. saeculo invenitur. Mea quidem sententia Schoellius recte Buecheleri coniectura „unum" recepta totum versum sic scribit: Ut facilius alia quam alia eundem puerum unum parit.

Alia est ratio horum exemplorum, in quibus pronomen „idem" minus arte coniunctum est cum substantivo: Amph. 77 eadem histrioni sit lex, 577 et apud te adsum Sosia idem, 862 idem Mercurius qui fit. Asin. 147 mater tu eadem era's. Cist. I, 3, 29/30 duxit uxorem hic sibi Eandem, quam. Bacch. 421 eademne erat haec disciplina, 946 idem sum Ulixes Lartius. Men. 44 idemst ambobus nomen. Merc. 811 lex esset eadem, 842 atque era eadem es hominibus. Pseud. 304 eademst mihi lex. Poen. 115 pater harunc idem huic patruos adulescentulost. Rud. 983 eadem tandem res videtur. Trin. 445 sententia eademst. Truc. 185 mala's atque eadem, quae soles, inlecebra.

Men. 1069 codd.: Siculus sum Syracusanus. Ea domus et patriast mihi. — Ritschelius cum iure exspectaret formam

pronominis „idem“, coniecit „eadem pol patriast mihi“. Buechelerus scripsit „Eadem urbs et patriast mihi“. Probabilior emendatio nondum inventa est.

Desperatissimus est Truc. v. 842, ubi codicum lectio maxime turbata est. Schoellius scribit: Eundem pol reum iudicasse te quidem istanc rem intellego. Pugnat contra usum Plautinum Seyfferti lectio: Eumpse ultro te iudicasse cett., cf. p. 32.

Ceterum concedendum est, in versibus haud ita paucis (ut Men. 44, Pseud. 304, Stich. 134. 434) incertum esse, utrum „idem“ appositionis loco substantivo additum sit, an munere fungatur praedicati, an sic usurpatum sit, ut ipsum pronomen subjecti, substantivum praedicati loco sit.

B.

Eandem legem atque Plautus sequi solet Terentius, apud quem haec inveniuntur exempla: Andr. 885 eodem die. Eun. 241 ex eodem ortum loco. Heaut. 329 eadem hac inveniam via, 442 in eandem fraudem, 678 idem illud ... argentum, 1010 eadem oratio. Phorm. 126 eadem haec lex, 404 et 406 de eadem causa, 780 in eodem luto, 888 idem hoc argentum, 901 de eadem hac fortasse causa. Hec. 10 eodem ut iure, 203 in eodemque ... ludo, 309 de eadem causa, 691 in eandem vitam, 747 eadem ista aetate (cf. p. 45). Adelph. per. 8 idem Aeschinus, 128 de eadem re, 424 ad eundem istunc praecipio modum, 695 eodem modo, 801 idem ius, 812 eandem illam rationem.

Contraria collocatio invenitur: Phorm. 495 Cantilenam eandem canis, Eun. 35 personis isdem. —

Corruptus est v. Heaut. 898: Sed ille tuom quoque Syrus idem mire finxit filium; cf. p. 43 sq.

Phorm. 404 recte legitur: Iudicium de eadem causa iterum ut reddant tibi. — Fleckeisenus et Wagnerus scribunt „de ea causa alterum“, ut videtur propterea, ne „vox ‚iterum‘, cuius emphasis praecipua est, in thesi obmutescat“. Sed similia saepe inveniuntur.

Non appositionis loco substantivo additum est pronomen in his versibus; Heaut. 265 Nam et vitast eadem et animus

te erga idem ac fuit. Phorm. 716 lubido eadem haec manet. Hec. 791 easdem amicas fore tibi promitto. — Deest ultimus versus in A, sed agnoscitur a Donato.

CAPUT ALTERUM.

De collocatione pronominis „idem“ cum aliis pronominibus coniuncti.

A.

Perraro, quod res ipsa fert, „idem“ cum pronomine personali coniungitur: Capt. 864 idem ego sum Salus. Merc. 853 idem egomet mi oboedio. Poen. 161 em, eundem me dato. — Amph. 1085 tu idem. Aul. 567 tu idem. Asin. 147 mater tu eadem era's. Andr. 521 tu tamen idem.

Merc. 71 codd.: Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metes. — Iam Guyetus emendavit „tibi item metes“.

Praeterea „tute idem“ invenitur apud Caecilium, ubi Ribbeckius v. 95 sq. scribit: mihi sobrio Dormitum ut eam quisquam suadet? et si ego obdormivero Tute idem ubi eris experrectus?

In his exemplis pronomen primae personae postponitur, pronomen alterius personae anteponitur neque tamen certam legem ex paucis exemplis constituere licet.

De collocatione pronominis „idem“ cum demonstrativis pronominibus coniuncti Ritschelius disseruit in indice lectt. aest. Bonn. 1841/42 p. X (= opusc. II, 418 sq.), qui hanc legem indagasse sibi videbatur, ut poëtae scaenici „idem“ cum pronomine demonstrativo coniunctum anteponere solerent. Sed accuratius omnia exempla, quae exstant, inspicientes videbimus hanc regulam paulo artioribus finibus circumscribendam esse.

B.

„idem“ cum pronomine „hic“ coniunctum apud Plautum his locis anteponitur:

Amph. 54 eandem hanc. Cas. II, 2, 18 idem hoc. Bacch. 421 eademne erat haec disciplina. Mil. 755 idem hoc.

Corruptus est Trin. v. 1163: Spondeo. Et ego spondeo idem hoc cett., cf. p. 47.

Epid. 663: Eadem haec intus edocebo, quae ego scio, Stratippoclem. — Versibus simillimis: Mil. 303, Pseud. 333, Poen. 713, Stich. 438, aliis collatis „eadem“ pro adverbio habendum est.

Contra postponitur pronomen „idem“ in his versibus: Capt. 296 Haec tu eadem si confiteri vis, tua ex re feceris.

Cas. V, 2, 50 Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet: optumest. — Fleckeisenus (Phil. II, 113) proponit: Ut senex eodem hoc poclo biberet, quo ego bibi: optumest. — Certe in ordine pronominum „hoc eodem“ non est offendendum.

Stich. 263 A: Malum quidem si vis, haec eadem dicit tibi. — Ritschelii coniectura „hoc eadem dabit tibi“ iure improbatur Goetzio.

Bacch. 47 sed hoc idem apud nos rectius poteris agere. — Quod Ritschelius dicit, „hoc“ et „idem“ in hoc versu non magis esse inter se construenda, quam „idem hoc“ Amph. 165, „tu idem“ Asin. 256. Rud. 1074 cett., ei astipulari non possum.

Nondum certo emendatus est Curc. v. 675: Et ego hoc idem unum spondeo.

Itaque apud Plautum utraque collocatio saepius invenitur.

Eadem est ratio apud ceteros poëtas scaenicos praeter Terentium: „hoc idem“ invenitur apud Ennium (fragm. trag 188) et apud Caecilium v. 154. Contra Nov. 73/74 recte Buechelerus et Ribbeckius scribunt: Nunc res me ipsa reprimit, saepe eadem hac sum grassatus via. Codd. „hac eadem“.

Valet regula Ritschelii sine ulla exceptione apud Terentium, ubi haec exempla inveniuntur: Andr. 578 eadem haec = 599 = 930. Eun. 453 idem hoc = 783 = 810. Heaut. 164 idem absens facere te hoc volt filius, 329 eadem hac inveniam via, 550 eadem haec. Phorm. 126 eadem haec lex, 516 idem hic (sic A, ceteri codd. minus bene „idem hoc“), 716 eadem haec, 888 idem hoc argentum, 901 de eadem hac fortasse causa. Adelph. 751 eadem haec.

Incertissima est lectio Hec. 609, ubi in cod. A haec scripta sunt: Quod faciendumst post fortasse, idem hoc nunc

si feceris. — Fleckeisenus et Dziatzko versum spurium esse putant.

Heaut. 1010 legitur in cod. A: Immo scis potius, quam quidem redeam („redeat" correxit altera manus) ad integrum haec eadem oratio. — Rectius ceteri codd. pronomen „haec" omittunt. — Totum versum cum Dziatzkone legendum esse puto ita: Immo scis potius, quam quidem redeat integra eadem oratio.

C.

Etiam de coniunctione pronominis „idem" cum pronominibus „ille" et „iste" regula Ritscheliana comprobanda esse mihi videtur, ita ut versus nonnullos, ubi contraria collocatio invenitur, emendandos esse putem.

„ille" et „idem" apud Plautum inter se coniunguntur his locis: Cas. Prol. 61 eandem illam. Mil. arg. I, 4 eidem illi militi. Rud. 547 eadem illa.

Praeterea verisimillima coniectura a Pareo scriptum est Rud. 1337: Eodem illo die, ubi viduli sies potitus. — In codd. deest „illo".

Cist. I, 3, 35, ubi „Iubet illum eundem persequi si qua queat" legitur, certe facillima transpositione scribere licet: Iubét eundem illum persequi cett.

Apud Terentium ter invenitur „idem" cum pronomine „ille" coniunctum: Adelph. 812 eandem illam rationem, praeterea Heaut. 678 et 898.

Heaut. 678 A: Retraham hercle opinor idem ad me ego illud hodie fugitiv (reliqua verba desunt in A). BCEFP: opinor ad me idem illud fugitivum. Exitum versus plerique codd. exhibent: fugitivum argentum tamen. — Voces „hodie" et „ego", quae solo codice A exhibentur, recte in plerisque editionibus omissae sunt, cf. p. 47. Praeterea offendit in A ordo pronominum „idem ad me illud", neque tamen quod vulgo legitur „ad me idem illud" verum esse videtur. Magis convenit consuetudini Plautinae et Terentianae, quod Dziatzko legit: idem illud ad me fugitivom cett.

Heaut. 898 legitur: Sed ille tuom quoque Syrus idem mire finxit filium. „tuus BCE[1]FP „isdem" A, omittitur „idem" in cod. G. — Reinius proponit: Sed ille tuos tuom quoque

Syrus mire f. f., cum putet alicuius esse momenti, quod et „tuos" et „tuom" in codicibus scriptum sit. Sed sine dubio forma „tuos" corrupta est, cum librarii construerent „ille tuos Syrus". Dziatzko auctoritatem Bembini codicis secutus scribit „eisdem" et putat, mente esse supplendum „artibus" vel „modis" vel „calliditatibus". Sed dubito, num simile exemplum inveniri possit; certe apud Plautum Terentiumque nullum exstat. Omnia optime se habent, si facili coniectura scribimus: Sed ille tuom quoque Syrus itidem mire f. f.

D.

„iste" et „idem" inter se coniunguntur apud Plautum: Asin. 640 eadem istac opera. Curc. 541 idem ego istuc. Cist. I, 1, 28 idem istuc. Bacch. 1018 eadem istaec verba. Men. 184 idem istuc = Mil. 1040 [1]) = 1273 = Pers. 239. Stich. 474 idem ego istuc.

Pers. 445, ubi legitur „Eadem istaec facito mulier ad me transeat", „eadem" adverbium est.

Mil. 236 Muellerus Pros. Plaut. p. 62 legit: Neque habet plus sapientiai quam lapis. Idem ego istuc scio. — CD: aego mist vescio, B_a: „egom .. stuc scio" cum rasura, B_c: egom ‡ istuc scio.

Truc. 740 codd.: Praeterea unam in obsonatum. Idem istoc delatum scio. — Muellerus l. l. p. 672 proponit „idem ego istuc", quod sane consuetudini Plautinae optime convenit.

Contra Aul. 141, ubi Muellerus Add. p. 119 scribit „idem ego istuc arbitror", recte Goetzius codicum lectionem „idem ego arbitror" retinuit.

---

1) Ad Mil. v. 1040 annotat Brixius, plerumque dici „alii multi" et „alii omnes", raro inversum ordinem inveniri. Apud poëtas scaenicos haec inveniuntur exempla: Aul. 532 aliae multae, Curc. 607 alii multi, Mil. 698 alia damna multa, Truc. 947 alia multa = Andr. 354 et Eun. 17. Mil. 1040 cum Brixio et Ribbeckio „aliae multae" scribendum esse puto; codd. „multae aliae". — Contra invenitur „multi alii" Andr. 931 et Enn. v. 37 (fragm. trag.), „plurumi alii" Most. 1052. — Cist. V, 8 aliis omnibus, Pers. 755 alii omnes, Adelph. 925 aliis omnibus, Poen. 1183 ceteris omnibus. — „omnia alia" invenitur Adelph. 832 et in Attii v. 384. Contra Most. 1146 „omnia alia" coniecturae debetur. — Sallustium semper fere dicere „alii omnes, ceteri omnes" ex exemplis apparet, quae Dietschius affert in indice editionis Sallusti (1859) p. 293.

Truc. 811 nunc recte legitur: Vir illam, non mulier praegnatem fecit. Idem ego istuc scio. — Codd. „et idem (ide.BD)“, unde Bothius minime convenienter usui Plautino scripsit „item ego istuc“.

Truc. 815 vulgo legitur: De istoc ipsa, etsi tu taceas, reapse experta intellego. — Recte Schoellius, Kiesslingium (nov. ann. 1868 p. 639) et Muellerum (Pr. Pl. p. 672 adn. 2) secutus, scribit: Idem istuc ipsa.

Truc. 814 codd.: Et tibi quidem hercle idem adtulit magnum malum. — Ut trochaicus versus existat, Spengelius „istic“ post „idem“ addit. Schoellius scribit „hercle infida idem“, Dombartus „hercle eadem opera idem“.

Trin. 747 recte cum libris Palatinis legitur: Nam hercle omnia istaec veniunt in mentem mihi. — Cod. A „Eadem omnia istaec“, quam lectionem probavit Ritschelius in priore ed., sed codicum Palatinorum lectio maxime convenit constanti usui Plautino, cf. Brixius ad Trin.[3] v. 61.

Omnibus igitur his locis „idem“ anteponitur. — Contrarii generis sunt Mil. 776 et Most. 1087.

Mil. 776 codd. „Credo ego istuc idem“, quod reiciendum est. Utrum tamen Bothii emendatio „istuc item“ an Bergkii „istuc quidem“ praeferenda sit, vix dijudicari potest.

De Most. v. 1087: Dixi ego istuc idem illi cett. cf. p. 47.

Eandem legem atque exempla Plautina tenent haec duo: Inc. inc. (fragm. trag.) v. 116: Eandem virtutem istam, Pacuv. 202: eadem istaec.

Apud Terentium haec inveniuntur exempla: Heaut. 888 idem istuc (sic recte A, ceteri codd. „itidem istuc“). Phorm. 726 idem ego istuc.

Accedit versus desperatissimus Hec. 747, ubi codd. Calliopiani praebent: Nam neque ille hoc animo erit aetatem neque pol tu eadem istac aetate. A „eadem istà aetas“, sed altera manus correxit „aetate“.

Adelph. 424 recte legitur: Conservis ad eundem istunc praecipio modum. — A praebet „eundem ipsum“, quod Klettius (Symb. phil. Bonn. p. 845 annot.) recipiendum esse putat. Sed iam Reisigius (Schol. lat. p. 375 ed. Haasius) rectissime exposuit, omnino abhorrere ab optimorum scriptorum

usu coniunctionem pronominum „idem“ et „ipse“ et perpaucos locos Ciceronianos, ubi in omnibus vel in nonnullis codicibus haec duo pronomina coniungantur, emendandos esse. Reisigii sententia probari videtur Baitero et Halmio, qui quidem in editione Ciceronis paucissimos locos obstantes facili emendatione corrigunt. Minus probatur, quod Reisigius disputat, ei, qui scholas eius edidit: Friderico Haasio. Sed is praeter exemplum Cic. Verr. I, 28, § 71, quod tamen ipsum quoque emendandum esse neque quidquam valere ipse vir doctissimus demonstrat, ne unum quidem locum ex optimis scriptoribus affert, qui pugnet contra Reisigii sententiam. Quod Haasius imitatione Lactantii, qui saepissime dicat „idem ipse“, probari putat Ciceronem quoque haec duo pronomina coniunxisse, huic argumento non multum tribuendum esse puto. Nam quamvis magno studio Lactantius sermonem Ciceronianum imitari studeret, tamen saepissime factum est, ut invitus sermoni suae aetatis indulgeret. Lactantii autem aetate et omnino apud scriptores posteriores saepissime „idem“ usurpatur pro „is“, ita ut „idem ipse“ idem valeat atque „is ipse“.

Contraria collocatio pronominum „iste“ et „idem“ invenitur Hec. 754 et Adelph. 599.

Hec. 754 legitur: atque istuc iusiurandum idem polliceare illis. — Reinius recte corrigit: iusiurandum item.

Adelph. 599 legitur: atque istaec eadem, quae mihi dixti, tute dicas mulieri. — Reinius coniecit „atque omnia istaec, quae“, sed ne sibi ipsi quidem placere hanc coniecturam fatetur. Mea quidem sententia haec insolita collocatio inde explicanda est, quod attractione quadam „eadem“ proxime a pronomine relativo scriptum est. Simillimum est exemplum Amph. 614: prognatum patre eodem, quo ego sum, cf. p. 38. Idem sentire Dziatzko mihi videtur, cum in adn. crit. ad h. v. dicit, fortasse post „istaec“ leniter esse distinguendum.

E.

Constat apud Plautum et Terentium, si compluria pronomina in uno enuntiato exstant, haec collocatione inter se coniungi solere, etiamsi minime inter se construenda sunt. Fieri autem necesse est, ut multa pronomina, quae saepissime

cum aliis coniunguntur, certo plerumque ordine collocentur. Quam rem accuratissime tractant: Ant. Mahlerus, de pronominum personalium collocatione apud Plautum. Diss. Gryphiswald. 1876; Car. Reinius l. l.; Guil. Kaempfius, de pronominum person. usu et collocatione apud poëtas scaenicos. Berol. 1886.

Itaque, si „ego" et pronomen neutri generis „idem" in eodem enuntiato usurpantur, semper dicitur „idem ego", ita ut haec duo pronomina nullo vocabulo interposito dirimantur. Inveniuntur haec exempla: Aul. 141 idem ego arbitror, 175 idem ego spero. Curc. 541 idem ego istuc, quom credebam, credidi. Men. 484 idem ego dicebam. Mil. 246 idem ego dicam. Stich. 474 idem ego istuc scio, 644 idem ego nunc facio. Truc. 811 idem ego istuc scio. Eun. 1083 idem ego arbitror. Phorm. 491 idem ego vereor, 726 idem ego istuc facere possum.

Praeterea Muellerus conicit Mil. 236: idem ego istuc scio, cf. p. 44 et Truc. 740 idem ego istuc delatum scio, cf. p. 44.

Nonnulli loci contra hanc legem pugnare videntur, sed omnes hi versus alias quoque offensiones praebent.

Most. 1087, ubi codd. exhibent: Dixi ego istuc idem illi, cf. p. 45, scribo: Dixi idem ego istuc illi.

Men. 1094 codd.: Hunc meum fratrem esse. Spero. Et ego idem spero fore. — Servatur codicum lectio a Ritschelio et Vahleno. Sed cum facili coniectura numeri quoque (cf. Muellerus Pr. Pl. p. 579) suaviores fiant, cum Brixio ed. III scribendum esse puto: Et égo quidem spero fore, cf. Brixius app. p. 109 et Muellerus Add. p. 104 sq.

De Merc. v. 12, ubi in codd. scriptum est: Non ego idem facio cf. p. 51 sq.

De Heaut. v. 678, ubi in A scriptum est: Retraham hercle opinor idem ad me ego illud hodie fugitiv(om), cf. p. 43.

Nondum certo emendati sunt vv. Curc. 675: et ego hoc idem unum spondeo, et Trin. 1163: Spondeo. Et ego spondeo idem hoc. Oh salvete adfines mei. — Certe reiciendum est, quod Hermannus coniecit: Et ego spondeo idem. Oh salvete cett., cum haec lectio pugnet contra regulam nostram. Ritschelius scribit: Et ego spondeo itidem. Oh cett. —

F.

Bis invenitur „unus“ cum pronomine „idem“ coniunctum: Curc. 675 et ego hoc idem unum spondeo, ubi tamen lectio est incertissima; Poen. 1340: Nam omnibus amicis meis idem unum convenit. — Langenus Beittr. p. 223[1]), cum negat asyndeton „idem unum“ ferri posse, scribit „id unum“. Sed quod scriptores posterioris aetatis semper dixerunt „unus et idem“ vel „unus idemque“, inde non efficitur, Plautum dicere non potuisse „idem unum“.

Coniecturae debetur, quod Schoellius scribit Truc. 806:

---

[1]) De collocatione vocis „unus“ cum pronominibus coniunctae Langenus l. l. disputat. Sed quoniam ab illo omnia exempla adscripta non sunt, hoc loco paulo accuratius rem tractare liceat.

Pron. pers. apud Plautum et Terentium semper fere anteponitur: Asin. 208. Capt. 670. Cas. II, 6, 7. Most. 928. Men. 370. Mil. 56. 229. 1051. 1232. Stich. 617. Truc. 187. Heaut. 129. Phorm. 470. Coniectura restituta est eadem collocatio: Bacch. 51 in edd. Ritsch. et Fleck. (sed cf. Ritschelius opusc. II, 302) et Stich. 489 in edd. Ritsch. Fleck. Goetz. (sed cf. Luchsius, de genetivo p. 8). Postponitur pron. pers. bis: Amph. 610. 833.

Pron. demonstr. „hic“ apud Plautum paulo saepius anteponitur, quam postponitur. Anteponitur: Asin. 428. Aul. 127. Capt. 241. Most. 216. 1177. Poen. 237. 403. Pers. 32. Stich. 421. 427 (cum cod. A). Trin. 394. 1114; praeterea Merc. 515 („hoc unum“ codd. Pall., minus bene cod. A exhibet „unum hoc“) et Merc. 542 (cum cod. A; lectio ceterorum librorum pugnat contra usum Plautinum cf. Muellerus, Add. p. 50 et Seyffertus, Philol. 29, p. 401). Incertissima est lectio Truc. 907.

Sequitur „hic“: Asin. 847. Aul. 365. Capt. 747. Cas. II, 5, 23. Bacch. 546. Most. 72. Mil. 1166. Rud. 549 („unam hanc“, minus bene cod. Decurtatus praebet „hanc unam“). Stich. 593.

Contra Terentius dicere solet „unus hic“, „unum hoc“: Andr. 281. Eun. 295. 852. 877. 1084. Heaut. 334. Phorm. 137. 754 (unam ille quidem hanc solam). 905. Hec. 420. 462 („una hac sententia“ recte scribunt Bentl. Fleck. Dziatzko). 601. Adelph. 239. 258. 833 (solum unum hoc). — Non sunt inter se construenda „unam“ et „hanc“ Adelph. 926: Quam maxume unam facere nos hanc familiam. — Quater pron. dem. antecedit: Andr. 506. Heaut. 461. Hec. 570. 766.

„ille“ anteponitur: Cist. I, 1, 78. Most. 188. Mil. 968. Rud. 576. Adelph. 436. Sequitur semel: Merc. 240.

„iste“ antecedit: Pseud. 875. Merc. 206, sequitur Most. 983.

„is“ semper praecedit: Cas. II, 3, 4. Most. 278. Rud. 106. Trin. 385. Heaut. 294.

Ut facilius alia quam alia eundem puerum unum parit; cf. p. 39.

G.

Non valet certa regula, si „omnis" cum pronomine „idem" coniungitur[1]; inveniuntur autem haec exempla: Amph. 55 omnibus isdem versibus (cf. p. 38.) Asin. 641 omnia eadem. Bacch. 1018 Eadem istaec verba dudum dixi illi omnia. Phorm. 913 eadem omnia. Hec. 199 Utin omnes mulieres eadem aeque studeant nolintque omnia.

De Trin. v. 747, ubi in cod. A legitur: Eadem omnia istaec veniunt, cf. p. 45.

[1]) Omnino neque Plautus neque Terentius certas leges sequuntur, si vox „omnis" cum pronominibus coniungitur. Dicitur enim et „haec omnia", ut Most. 371. Mil. 1349. Poen. 704. Heaut. 878. Adelph. 44, et „omnia haec": Asin. 79. Mil. 1183. Curc. 323. Phorm. 423. Adelph. 141 cett., „istaec omnia" ut Rud. 1265. Bacch. 1018. Poen. 726 et „omnia istaec": Merc. 477. Rud. 1100. Trin. 655. 747. 1098 cett. Eadem est ratio in similibus coniunctionibus vocis „omnis" cum pronominibus. — Paulo maiore constantia Plautus et Terentius utuntur, si pronomina personalia cum voce „omnis" coniunguntur. Apud Plautum haec exstant exempla: Amph. 4 vostrorum omnium. Curc. 659 nobis omnibus. Cas. prol. 21 vos omnis. Men. 880 vosque omnis. Pseud. 584 vostrorum omnium. Poen. 922 vobis omnibus; postponitur pron. pers. bis: Pseud. 165 omnis vos (Ritschelius omittit „vos"). Pers. 775 omnibus nobis.

Contra Terentius vocem „omnis" anteponere solet: Andr. 519 omnis nos = 946. Heaut. 26 omnis vos, 386 omniumque adeo vostrarum. Phorm. 101 omnis nos = 289, 478 omnis vos, 546 omnibus nunc nobis, 809 omnis nos. Hec. 328 omnis nos = 530, 380 omnibus nobis. — Contrarii generis duo exempla inveniuntur: Hec. 274 et 286, ubi legitur „nos omnes".

Praeterea Plautus et Terentius dicere solent: eos, eas omnis, ea omnia cett. in numero plurali, quod his exemplis confirmatur: Amph. 525 ea tibi omnia, 948 ea ego (ut) exolvam omnia. Men. 900 ea omnia (Ritschelius et Fleckeisenus omittunt „ea"). Poen. 88 eas omnis. Rud. 358 ea nunc perierunt omnia. Stich. 205 eos omnis. Trin. 1168 ea missa facias omnia. Truc. 157 ea omnia, 798 eaque ... omnia. Eun. 631 ea omnia. Hec. 369 earum ... omnium. Praeterea cf. Capt. 970 et Most. 841.

Contrarii generis sunt duo versus: Cist. IV, 1, 9 Omnia infitiatur ea, quae dudum confessa est mihi, et Pers. 766 Omnia, quae tu vis, ea cupio. — Sine dubio in utroque versu propter enuntiationem relativam verba sic collocata sunt.

Raro invenitur illud „plerique omnes": Trin. 29. Andr. 55. Phorm. 172. „pleraque omnia" Heaut. 830. Cf. Gellius VIII, 12.

4

Asin. 613 codd.: Mihi certumst efficere in me omnia eadem, quae tu in te faxis. — Fleckeisenus scribit: Mihi certumst efficere omnia in me eadem quae cett. Sed maxime mihi probatur, quod Goetzius et Loewius Lachmannum secuti servato ordine verborum, qui est in codicibus, sed deleto pronomine „mihi" scribunt: Certumst efficere in me omnia eadem, q. t. i. t. f. Nam si „certum est" cum infinitivo construitur, rarissime apud Plautum quidem et Terentium pronomen „mihi" additur. „mihi certumst" praeter nostrum versum semel me legere memini: Pseud. 1239; „certumst mihi" ter: Pseud. 90 et in finibus versuum Capt. 772 et Cas. I, 1, 3. Dubia est lectio Poen. 1420. Omnibus aliis locis — numero fere sexaginta — legitur „certumst" sine „mihi".

CAPUT TERTIUM.

A.

De pronomine relativo et coniunctionibus „ut, atque" cum pronomine „idem" coniunctis.

Saepissime invenitur „idem, qui", „eadem, quae" cett. ut Amph. 77. 447. 614. cett.

Trin. 54 codd. exhibent: Omnibus amicis, quod mihist, cupio esse idem. — Bothius emendavit „item". Ritschelius, quamquam in ind. schol. hib. Bonn. 1841/42 p. X annot. hanc coniecturam improbaverat, tamen postea (opusc. II, 418 annot.) eam recepit, cum negabat pronomen „idem" sic quidem collocatum ferri posse. Ritschelium secuti sunt editores praeter Brixium, qui pronomen „idem" retinet et ad defendendam codicum lectionem in append. ad h. v. adscripsit Most. 296: quod tibi lubet, idem mihi lubet. — Sed illud quidem satis notum est, „idem" pronomen non minus recte post relativam sententiam quam ante eam poni. Itaque aliud quiddam Ritschelium offendisse videtur. Sed videamus exempla, ubi pronomen relativum anteponitur:

Amph. 532 Nam qua nocte ad me venisti, eadem abis.

Asin. 177 quae amanti parcet, eadem sibi parcet parum, 324 Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum. Cas. II, 2, 12 sq. Nam quod tibist aegre, idem mihist. Most. 296 quod tibi lubet, idem mihi lubet. Men. 483/4 mulier quicquid dixerat, idem ego dicebam. Mil. 1071 (cum Bothio, Hauptio, aliis): Quom quae te volt, eandem tu vis. Poen. 921 Quae audivistis modo, nunc si eadem hic iterum iterem cett. Hec. 73 Aut qua via te captent, eadem ipsos capi. Hec. 609 Quod faciendumst post fortasse, idem hoc nunc si feceris, v. p. 42 sq.

Accedit simile exemplum Hec. 544: Sed ut olim te ostendisti, eadem esse. Curc. 334, ubi cum codd. legitur „Quod tibist, item sibi esse", scribo: Quod tibist, idem sibi esse.

Videmus igitur, quod quidem per se intellegitur, ubicumque pronomen relativum praecedit, pronomen „idem" in initio enuntiationis sequentis positum esse.[1]). Unus obstat versus Poen. 921, sed ibi propter particulam „si" verba vix aliter collocari poterant. — Trin. 54 autem certe Bothii coniectura probanda est. Contra improbandum est, quod Muellerus Add. p. 11 scribit Most. 296: quod tibi lubet, mihi idem lubet.

Quater apud Plautum in codd. invenitur „ut" ad pronomen „idem" relatum, sed duo loci iam dudum emendati sunt.

Capt. 778 eodem pacto, ut comici servi solent, et Merc. 263 eodem pacto, ut insani solent. Hic „eodem pacto" dictum est pro „itidem" et propterea certe coniunctio „ut" sequitur.

Bacch. 949 codd.: Nam illic eidem Ulixem audivi, ut ego sum. — Recte emendavit Bothius „illi itidem Ul".

Merc. 12 codd.: Non ego idem facio, ut alios in comoediis (scil. vidi facere). — Cum collocatio quoque „ego idem" vix

[1]) Similis est ratio: Capt. 261 Ut vos hic, itidem illic apud vos, Hec. 251 ut veni, itidem incertum amisti; praeterea Asin. 178. Capt. 1002/4. Mil. 727/30. Pseud. 199/200. Rud. 1099. Truc. 35/40. Amph. 992 (ex Lindemanni certa coniectura). Dubia est lectio Asin. 15. — In omnibus his exemplis „itidem" vel „item" vel „pariter" in initio enuntiationis principalis positum est. Itaque probari nequit, quod vulgo cum deterioribus codd. legitur Amph. 960: Proinde eri ut sint, ipse item sit. Cod. B „item ipse", unde rectissime Fleckeisenus ep. crit. XX coniecit: itidem ipsus sit.

ferri possit, certe probandum est, quod vulgo cum Mureto legitur „ego item“.

Semel invenitur „ut . . . idem“ apud Terentium: Hec. 544 Sed ut olim te ostendisti, eadem esse nil cessavisti.

Semel apud Plautum et semel apud Terentium invenitur „idem atque“: Most. 220/1 Eundem animum oportet nunc mihi esse, gratum ut impetravi, Atque olim cett. Heaut. 265 Nam et vitast eadem et animus te erga idem ac fuit.

B.

Perraro invenitur adverbium „eodem“: Asin. 139. Curc. 506; praeterea Merc. 674: et eodem accedit servitus, sudor, sitis. Ritschelius scribit „eo iam accedit“, sed Goetzius codicum scripturam retinet. — Vix genuinus est Hec. v. 34: Funambuli eodem accessit exspectatio.

Saepissime apud Plautum adverbium „eadem“ invenitur. Sed opus est omnia exempla describere: Capt. 293 Sequere hac me igitur: eadem ego ex hoc, quae volo, exquisivero (Imperat. Fut. II). Bacch. 48/49 sedens ibi opperibere: eadem biberis, eadem dedero (Fut. I Fut. II). Mil. 303 Hic te opperiar: eadem illi insidias dabo (Fut. I Fut. I). Merc. 801/2 Iubeas si sapias haec hinc intro auferrier: Eadem licebit (Coniunct. iuss. Fut. I). Pseud. 332 sq. Lanios inde accersam duo cum tintinnabulis: Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero (Fut. I Fut. II). Poen. 617 sq. Interibi attulerint exta atque eadem mulieres Iam ab re divina credo apparebunt domi (Fut. II Fut. I). Poen. 718 sq. . . . fabulabimur. Eadem narrabo tibi res Spartiaticas (Fut. I Fut. I). Pers. 444 sq. Abi istac travorsis angiportis ad forum: Eadem istaec facito (Imperat. Imperat.). Stich. 437 sq. ad amicam transibo meam, Mi hanc occupatum noctem; eadem symbolam dabo (Fut. I Fut. I). Trin. 577 sq. I hac, Lesbonice, mecum ut coram nuptiis Dies constituatur: eadem haec confirmabimus (Imperat. Fut. I).

Sic quoque Epid. 663 „eadem“ adverbium esse puto; legitur: 662 sq. Remeabo intro ut accurentur advenientes hospites: Eadem haec intus edocebo (Fut. I Fut. I).

Videmus igitur, et in enuntiatione, ubi „eadem“ legitur,

et in enuntiatione antecedenti aut futuri aut imperativi aut coniunctivi iussivi formas usurpari.

Similia sunt haec exempla: Capt. 458 sq. Ad fratrem modo ad captivos alios inviso meos: Eadem percontabor cett.; „inviso“ dictum est pro „invisam“, cf. „ego apparebo domi“ v. 457. — Bacch. 520 sq. Profecto stabilest me patri aurum reddere: Eadem exorabo cett. i. e. aurum reddam: eadem cett. — Merc. 1007 sq. Hercle qui tu recte dicis: eadem brevior fabula erit. Mente supplendum est „eamus intro“ ex v. 1005.

Etiam Cist. III, 21 „eadem“ pro adverbio habendum et scribendum esse videtur: 20 ... persequar iam illam intro, ut haec ex me sciat: Eadem (scil. experiar) si possum tranquillum facere ex irato mihi.

In omnibus his exemplis praeter Poen. 617 enuntiatio, ubi „eadem“ legitur, per asyndeton cum priore enuntiatione coniungitur.

Itaque non recte Brixius coniunctionem „et“ ante „eadem“ addidit Men. 428, ubi codd. exhibent „Hercle qui tu recte dicis, eadem ignorabitur“, praesertim cum simillimus sit versus Merc. 1007: Hercle qui tu recte dicis: eadem brevior fabula erit. — Magis placet, quod Ritschelius legit „eadem ea ignorabitur“. Minime cum Ussingio de voce „opera“ post „eadem“ inserenda cogitandum est, cf. Brixius ad h. v. p. 100 (edit. tert.)

Stich. 451 codd. Pall.: Ea ibo obsonatum, eadem referam obsonium; contra in cod. A invenitur: Ibo obsonatum atque eadem cett. — Nullo modo abesse potest adverbium „ea“. Versus „ea ibo obsonatum atque eadem referam obsonium“ vituperatur a Ritschelio in annot. ad h. v., defenditur a Fleckeiseno Nov. annal. 61, p. 47. Ego, cum „atque eadem“ parum respondeat consuetudini Plautinae, praefero Ritschelii lectionem: Ea obsonatum ibo, eadem referam obsonium.

Confirmantur, quae disputavi, his exemplis:

Capt. 449 sq. Sequere me, viaticum ut dem meo a tarpezita tibi: Eadem opera a praetore sumam syngraphum (Imperat. Fut. I). Rud. 328 sq. (cum Fleck. v. p. 39.) Nunc quid mihi meliust, quam ilico hic (ut) erum opperiar dum veniat? Eadem

(opera), Veneria haec sacerdos, si quid amplius scit, Si videro, exquisivero i. e. opperiar (fut.): eadem cett.

Bacch. 60 Tu prohibebis et eadem opera tuo sodali operam dabis (Fut. I Fut. I).

Most. 1039 codd.: Sume. Eademque opera haec tibi narravero. (Imperat. Fut. II). — Maxime mihi probatur Camerarii lectio: Eadem ego opera cett.

Apud Terentium semel hoc adverbium invenitur: Heaut. 368 Eademque ut esset apud te hoc quam gratissimum.

VITA.

Natus sum Arnoldus Guilelmus Niemoeller die 16. m. Febr. a. 1862 in vico Guestphalico, cui nomen est Wersen, patre Gerhardo Henrico praematura morte mihi erepto, matre Christina e gente Baeumer, quam adhuc superstitem esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis domi imbutus scholas adii, quae in oppidis Westercappeln et Ibbenbueren florent. Vere a. 1877 in scholam Portensem receptus sum, unde vere a. 1883 maturitatis testimonio instructus Lipsiam me contuli. Deinde duobus semestribus peractis Halas transmigravi ibique universitatis civis fui per quinque semestria. Per omnia septem semestria audivi viros doctissimos: Biedermann, Brugmann, Burdach, Collitz, Curtius, Dittenberger, Duemmler, Erdmann, Fricke, Gering, Haym, Hildebrand, Hiller, Kahnis, Keil, Lange, Lipsius, Ribbeck, Roscher, Schnedermann, Settegast, Vaihinger, Zacher. Ut societatibus suis interessem, benigne permiserunt Gering, Keil, Vaihinger, Zacher. Quibus viris omnibus, imprimis viro illustrissimo H. Keilio gratiam habeo quam maximam.